P. ÆGINETÆ
CHIRURGIA.

TACUINI.
ALBENGUEF
AKINDUS.

DE SEX
REBUS NON
NATURALIB.

4875/D
(3)
1996/ 1148/
H. II Aeg

Egine

4013
42550 (1)

PAVLI AEGINETAE

MEDICI PRAESTANTISSIMI DE CHIRVRGIA
liber, inter cæteros eiuſdem autoris medicæ artis or=
dine ſextus, à IOANNE BERNARDO
FELICIANO Veneto nunc pri
mum latinitate donatus.

Acceſſit & index non minus utilis quàm copioſus.

Caſtigationes prætereà Albani Torini in ſuam
AEGINETAE *tralationem.*



BASILEAE
M. D. XXXIII

Suſpicionibus ſecuris

QVAE IN SEXTO LIBRO CONTINEANTVR.

IN hoc libro totius operis ſexto de ijs diſſeritur, quæ tam in carne, quàm in oſſibus manuum & ſcalpelli operam deſiderant. Inter ea quidem quæ in carne accidũt, telorum etiam extractio reponitur. Oſſiũ uero uitia infractionum, luxatio, nunquam explicatione abſoluuntur.

CAPITA SEXTI LIBRI.

Procœmiũ eorũ quæ manus opera adminiſtrantur. Cap. I
De capitis aduſtione in lippientibus, difficulter ſpirantibus, & elephanticis. II
De hydrocephalis ſeu humorẽ aquoſum in capite habentibus. III
De arteriæ ſectione. IIII
De uenarũ exemptione, & aduſtione. V
De hypoſpathiſmo frontis quadam inciſione. VI
De periſcyphiſmo inciſione circa ſcyphiũ hoc eſt caluariam facta. VII
De cõſutione, & alijs modis in ijs quibus pili in palpebris ſubcreuerint. VIII
De palpebrarum aduſtione per medicamenta. IX
De lagophthalmis, ſeu leporina oculorũ affectione. X
De conſutione & aduſtione per medicamenta. XI
De ectropio, ſeu inferioris palpebræ inuerſione. XII
De illaqueatione, & ferro facta aduſtione. XIII
De ueſicis palpebrarum XIIII
De cohærentibus palpebris. XV
De chalazijs palpebrę labantibus tuberculis. XVI
De acrochordonibus & encanthidibus, hoc eſt uerrucis & inangularib. XVII
De unguibus morbo oculorũ. XVIII
De ſtaphylomatibus, ſeu uua oculi. XIX
De ſuppuratis oculis. XX
De ſuffuſionibus. XXI
De ægilope oculi abſceſſu. XXII
De auditorijs meatibus imperuijs, ac cõpactis. XXIII
De ijs quæ in aurem inciderũt. XXIIII
De polypis. XXV
De curtis circa aures. XXVI
De epulidibus & parulidibus gingiuarũ tuberculis. XXVII
De euulſione dentium. XXVIII
De contractione linguæ XXIX
De tonſillis. XXX
De uua. XXXI
De infixis ſpinis in gula. XXXII
De gutturis inciſione. XXXIII
De abſceſſu. XXXXIIII
De ſtrummis. XXXV
De ſteomatibus, atheromatibus, & meliceridibus, quod eſt ſeuationibus, pultationibus & mellifauijs. XXXVI
De dilatatione quam aneuriſma appelant. XXXVII
De bronchocele gutturis ramice. XXXVIII
De ganglio nerui cõtortione. XXXIX
De ſanguinis miſſione per uenas. XL
De cucurbitularum admotione. XLI
De aduſtione alæ. XLII
De digitis agnatis, & ſedigitis. XLIII
De aduſtiõe ſuppuratiõis in tabe. XLIIII
De cancro. XLV
De ijs quibus mulierũ in morem mãmæ turgeſcunt. XLVI
De iocinoris aduſtione. XLVII
De lienis aduſtione. XLVIII
De ſtomachi aduſtione. XLIX
De aqua inter cutem. L
De umbilicis prominentibus. LI
De uulneribus in abdominis membrana & inteſtini, uel omenti plapſu, ubi modus etiam uentris cõſuendi ex Galeno traditur. LII
De recutitis. LIII
De Hypoſpadiæis urinariũ meatũ ſubuulſum habentibus. LIIII
De phimoſi, conſtrictione præputij circa glandem. LV
De cohærente præputio. LVI
De circũcidendis. LVII
De thymis tuberculis in cole. LVIII
De fiſtulæ demiſſione, & collutione ueſicæ. LIX
De calculis. LX
De partibus quæ circa teſtes ſunt. LXI
De hernia aquoſa. LXII
De carnoſo & tofaceo ramice. LXIII
De uaricoſo ramice, & ſpirituoſo. LXIIII
De hernia inteſtini. LXV
De inguinis hernia. LXVI

De laxatione ſcroti quam rhacoſin, hoc eſt panniculationem dicunt. LXVII
De caſtrandi ratione. LXVIII
De hermaphroditis ancipitis ſexus hominibus. LXIX
De nymphæ præciſione & caudatione. LXX
De thymis, cõdylomatis ſeu nodis, & hæmorrhoidibus in locis muliebribus. LXXI
De conglutinatis naturalibus muliebribus & phimoſi, hoc eſt præcluſione eorundem. LXXII
De abſceſſu uuluæ. LXXIII
De fœtuũ emortuorũ extractione & exciſione. LXXIIII
De ſecundarum retentione. LXXV
De coxendicum aduſtione. LXXVI
De fiſtulis & fauis. LXXVII
De fiſtulis in ano. LXXVIII
De hæmorrhoidibus uenarũ orificijs ſanguinem fundentibus. LXXIX
De condylomatis ſeu nodis, & eminentijs, & rimis. LXXX
De ano compacto. LXXXI
De uaricum ſectione. LXXXII
De dracunculis. LXXXIII
De amputatione extremarum partium. LXXXIIII
De pterygijs ſeu pinnulis circa ungues. LXXXV
De unguibus contuſis. LXXXVI
De clauis & formicatiõibus & uerrucis. LXXXVII
De telorũ extractione. LXXXVIII
De fracturis, & quæ ipſarũ ſint differentiæ. LXXXIX
De fracturis in capite. XC
De inflãmatione mẽbranæ cerebri. XCI
De nigrefacta membrana cerebri. XCII
De naribus fractis & colliſis. XCIII
De inferiore maxilla fracta, & aure cõtuſa. XCIIII
De iugulo fracto. XCV
De ſcapula. XCVI
De pectore. XCVII
De coſtis. XCVIII
De coxis & pubis oſſibus. XCIX
De uertebris, ſpina dorſi, & ſacro oſſe. C
De brachio. CI
De cubito & radio. CII
De manu & eius digitis. CIII
De femore. CIIII
De genuum patella. CV
De tibia. CVI
De pede. CVII
De cruris depoſitione. CVIII
De fracturis cum uulnere. CIX
De calli ſupexcreſcentia in fracturis. CX
De ijs quibus in diſtortione callus concreuit. CXI
De fracturis quæ ſine callo perſeuerant. CXII
De luxationibus. CXIII
De inferiore maxilla. CXIIII
De iugulo & ſummo humero. CXV
De humero luxato. CXVI
De cubito. CXVII
De primæ palmæ partis, & digitorum luxatione. CXVIII
De uertebris ſpinæ. CXIX
De coxæ luxatione. CXX
De genuum luxatione. CXXI
De tali luxatione, ubi etiam de digitis pedum. CXXII
De luxationibus cũ ulceratione. CXXIII
De luxatione cum fractura. CXXIIII

PAVLI AEGINETAE

MEDICI PRAESTANTISSIMI, DE ARTE MEDENDI LIBER SEXTVS, IO. BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

Procemium eorum quæ manus opera adminiſtrantur. Cap. I

TOTVM de ijs quæ manus opera adminiſtrantur ſermonem bipartito diuidemus, in ea quæ in carne, & ea quæ in oſſibus tam fractis, quàm luxatis conſiderantur: exordiemurq; ab ijs quæ in carne contingere conſueuerũt, ſolita uſi breuitate: atq; hic à ſuperioribus partibus incipiẽtes, eam quæ in capite ac pręcipue in uertice adhibetur, uſtionẽ referemus.

De capitis aduſtione in lippientibus, difficulter ſpirantibus, & elephantijs. Cap. II

IN ijs qui lippitudine laborant deſuper defluente, & in difficulter ſpirantibus, ex nimio excrementitio humore, qui à capite ad pectus deſcendens partes eius aſſidua deſtillatione male habet, mediam capitis partem in hunc modũ adurũt. Detonſo prius uertici cauteria ad nuclei oliuæ ſimilitudinem inijciũt, & uſq; ad os cutem adurũt: deinde ubi cruſta excidit, os radunt: nonnulli uero etiam os ipſum adurentes ſquammam quandam inde tenuem reſolui procurãt, quo facilius illinc humores qui in capite ſunt difflari, atq; exinaniri queant: ſeruant tamen aliquãdiu hulcus, poſtea ita ad cicatricem perducunt. In illis autem quorũ morbus ad elephantiam tendit, quinq; nonnulli aduſtiones in capite adhibent: in anteriore parte ſuperius ad id quod uocat̃ ſynciput, unã: alterã paulò hac inferius, ſupra frontem tamen, ad capillorũ finem: tertiam ad id quod occipitium appellant: duas reliquas ad ea quæ ſquammata agglutinamenta nũcupantur, paulùlum ſupra aures, à dextra unam, à ſiniſtra parte alteram: ut plurium ſquammarum, cruſtarumq; detractione humorum tum copia, tum craſſitudo ab imis capitis partibus deriuata exhalet, atq; extrahatur: atq; ita oculis nullum nocumentũ afferat. Lieni quoq; cauterium aliud ſolent admouere, quo princeps melancholici ſucci ementi membrum hac cutis aduſtione curetur.

De hydrocephalis, ſeu humorem aquoſum in capite habentibus. Cap. III

HYdrocephalus morbus ita eſt nominatus ab humoris cuiuſdã, qui aquoſus ſubſtantia eſt, proprietate. Infantibus contingit cum à partu ipſorum caput imperite ab obſtetricibus comprimitur: ſiue ex incerta cauſa, ſiue ex uenę, aut uenarũ ruptione, cum in ſegnem quandam ſubſtantiam effuſus ſanguis conuertitur: ſiue ex rarefactione, cum in aquam euadit materia, & inter cutem & caluariæ membranã defertur. Vel enim inter membranam caluariæ & cutem, uel inter membranam caluariæ & os, uel inter os & membranã cerebri hic humor colligitur. Si inter cutem & membranam caluariæ eſt tractabilis quidam tumor, concolor, ac dolore uacans, ſurſum incuruatur: qui cum in proximo ſit, ad digitorum cõtrectationem facile cedit, uiciſſimq; locũ commutat, ac circũfluit. Si inter caluariæ membranam & os exiſtit, cætera ſimilia, tumor ſolummodo durior eſt, ac tardius, utpote ſub pluribus conditus corporibus, cedens: quique maiore dolore infeſtet laborantes. Si uero inter cerebri membranam & os cõſiſtit hoc uitium, tumor quidem eſt, ſed neq; adeò mollis, neq; prorſus cedens, niſi uiolenta aliqua compreſſione impellatur. Infantiũ enim os recens adhuc cum ſit, cedit: ac præcipue cum per rarefactas ſuturas humori aliquis exitus datur: id quod cognoſci uel inde facile poteſt, quod ſi comprimatur locus, in imas partes humor refugit, dolor his maior adeſt, caput totum diſſidet, frons in exteriorem partem prominet, intenti oculi, lachrymæ aſſiduæ. In huiuſcemodi profectò caſibus manus curationem adhibere recuſabimus: licet chirurgici nonnulli terebratione circumcirca facta, os eximere cõſueuerint, ſicut, ubi de fracturis capitis agendũ erit, poſtea dicemus. At ſi inter cutem & membra-

nam caluariæ humor conſtiterit, & paruus fuerit tumor, una inciſione per tranſuerſum facta contenti erimus. Si inter membranam & os cum maiore tumore, duas adhibebimus per medium ſeſe mutuò ſecantes. Si maior adhuc tumor appareat, tres, quæ literæ H figuram imitentur. Poſt manuũ operam effuſo humore, & linamentorũ inſertione plagis diductis, apte deligabimus, in tertium uſq; diem uini cui oleum adiectũ ſit inſperſione facta: tertio pòſt die modo per linamenta curandi utemur, atq; os, ſi diutius carnem contrahere morabitur, leuiter rademus.

De arteriarum ſectione. Cap. IIII

IN diuturnis oculorũ fluxionibus & uertigine, arterias poſt aures incidere conſueuimus. Prius poſterior capitis pars ad cutem tondenda, ac digitis tentanda eſt. Ex loci ſiquidem pulſu arteriæ poſitura facilime deprehendet. Deinde inciſio ad os uſq; immittenda duorũ circiter digitorũ longitudine: quæ tamen ſcriptorio atramento antea fuerit notata. Sed ſi arteria ſubeſſe non ſentiatur, locus trium circiter digitorũ interpoſito ſpacio ab auribus metiendus eſt: atq; ita arteriæ per trãſuerſum incidendæ, quoad & ſanguinis palpitatorius fluxus extiterit, & inſtrumentum oſſi appropinquarit. Poſteaquã uero ſanguinis ſatis uidebitur effluxiſſe ſecta caluariæ membrana, ne diſtentione imflammetur, & raſo oſſe cuneolum ex panniculo uulneribus inijciemus, poſtea linamentis curabimus. Quod ſi etiam hic nudum os maneat, neq; caro increſcat, ſimili modo raſura adhibenda eſt.

De exemptione uenarum, & aduſtione. Cap. V

IN doloribus qui alteram tantum capitis partem uexãt, ex eoq; hemicranici appellantur, tam diuturnis quàm acutis, cum calida & acri fluxione oculos infeſtãt, ut in temporũ muſculis calor etiam cum tumore ſentiatur, uenarũ exemptionem omnes approbarunt. Detonſis igitur temporũ capillis, prius uel fomentis excalfacto loco, uel colli cõſtrictione uſi digitis tentabimus: atq; ubi ſub aſpectum uenerint uaſa, atramento notabimus. Deinde à lateribus cutem utrinq; noſtris, & miniſtri ſiniſtrę manus digitis ſubleuatam leuiter ſuper uenã incidemus: poſtea diuiſione protracta hamulis oras excipiemus, aptiſq; ad id inſtrumentis à carne & cute diductam uenam undiq; abſoluemus. Et ſi tenuis fuerit, retuſo hamo ſubiecto, ac circumtorto uno in loco præcidemus, ſic ut pars ipſius quædam cõprehendatur. At ſi magna ſit uena, acus ſub ipſa duplex filum, uel linum crudum, uel tale quippiam ualidum ducens trãſmittenda eſt: ac primum per rectam lineam ſcalpello diſſecanda uena, ut ſanguinis quantum ſatis eſt mittatur: dein duabus in extremitatibus filo uinciẽda: parsq; ea quæ intercepta eſt uel ſtatim, uel cum reſoluere uoluerimus, abſcindenda ac detrahenda eſt. Sunt qui abſq; ulla inciſione oliuari figura ferramentis ad multam altitudinem adurant. At uero poſt manuum operam diſcerptis filatim linamentis, ac ſiccis inſertis, ſplenioq; ſuperimpoſito deligandum eſt. Poſtq; ſolutionem, cum iam fili uincula putruerint atq; exciderint, carnem citantibus tum aridis, tum linamento exceptis, & glutinantibus medicamentis reliquam curationem proſequemur.

De hypoſpathiſmo frontis quadam inciſione. Cap. VI.

INſtrumenti genus chirurgiæ nomẽ fecit. Vtimur autẽ hypoſpathiſmo in ijs in quibus pituita multa & calida ad oculos fluit: quibus ſcilicet facies rubeſcit, & in fronte quædam quaſi uermium, aut formicarum diſcurſio ſentitur. Deraſis igitur prius iuxta frontem capillis iubebimus, ut inferiorem maxillam moueat ægrotus: atq; ita muſculorum qui in temporibus mouentur initijs euitatis tres lineas in fronte rectas paribus inter ſeſe ſpacijs diſtantes ſcalpello incidimus, quæ longitudinem duorum digitorum ſingulæ impleant, profundæ uſq; ad os tendant: inter ſe trium digitorum interuallo diductæ ſint: poſt inciſionem ſubter iniecto hypoſpathiſtere, ſeu ſpatha, à ſiniſtri temporis linea initio accepto ad mediam uſq; totum illud ſpaciũ unà cum caluariam circundante membrana ab oſſe reſoluemus, Idem rurſus ſpatha à media ſectione ad reliquã

ſubiniecta

ſubiniecta faciemus. Poſtea uero aculeatũ cultellum altera ex parte acie præditũ in primam inciſionem ita immiſſum, ut acies eius carni quæ ſub cute eſt, retuſa pars oſſi adhæreat, uſq; ad mediam ſectionẽ adigemus: ut omnes à capite ad oculos deſcendentes uenas nõ tamen uſq; ad cutis ſummitatem ſecemus. Pari modo à media ad extremam ipſum traducendo uaſa incidemus: poſtq; cõgruam ſanguinis exinanitionẽ, expreſſis diligenter cõcretis partibus, tria apte cõtorta linamenta ſingula in ſingulas plagas inijciemus: ac duplex linteũ aqua madens ſuperimponemus, accurateq; deligabimus. Poſtero die nõ ſolũ plagas, uerũetiam temporũ muſculos, & aures, ob inflammationẽ uino & oleo inſpergemus. Tertio die aũt reſoluentes multa collutione fouebimus: & baſilico ex roſaceo diluto linamentis illitis atq; iniectis conuenienter poſtea curabimus.

De periſcyphiſmo inciſione circa ſcyphium, hoc eſt caluariam facta. Cap. VII

IN ijs in quibus multæ & profundæ uenæ copioſam pituitã ad oculos demittũt, periſcyphiſmũ adhibemus. Notæ horũ tales ſunt: Oculi emaciati, parui, & ad intuitũ debiles: quorũ anguli corroſi, palpebræ exulceratæ, & quæ pilos excidentes habeant. Lachryma tenuis admodum, & cum caliditate acris: dolor in capitis profunditate acutus ac moleſtus, ſternutatio aſſidua. Deraſo igitur capite, & temporum muſculis, ut ſuprà dictũ eſt, euitatis, diuiſionem tranſuerſam à ſiniſtro tempore in alterũ uſq; perducemus: quæ in immobilibus partibus fines habeat paulum ſupra frontem collocata, ſic ut coronaria ſutura caueatur. Tametſi Leonides in medio fronte inciſionem ſtatuendam eſſe cenſet. Nudato uero oſſe cuneolis, aut linamentis pluribus in plagã inſertis, oras eius, ne cõmittantur, à ſe mutuò ſeparabimus: atq; ita uini oleo admixti inſperſione, quo ſuprà etiã dictũ eſt modo adhibita, fines ſectionis deligabimus. Poſt ſolutionem autem repreſſa iam ac finita inflammatione os, quoad caro increſcere incipiat, radendum eſt: deinde carnem citantibus medicamentis utendum: quale eſt id quod farinæ triticeæ partes duas, colophonię unã admittit: quodq; cephalicũ appellatur. Et carne replentia, in quibus pumex adhibetur: ita enim fit, ut ex craſſiore cicatrice cute aſtricta, & uaſorum orificijs obſtructis, ſolita ad oculos deſcendere fluxio prohibeatur.

De conſutione alijsq; modis in ijs quibus pili in palpebris ſubcreuerint. Cap. VIII

PIlorum geminatus ordo qui dicitur, eſt exortus pilorũ præter naturam in ordine naturali palpebræ, qui ex pituitæ affectu euenit: cum multus quidem, minime tamen mordax, atq; acris deſtillãs humor eſt: nam ſi acrior, falſiorúe, aut quouis alio modo mordicans fuerit, diutina deſtillatione etiam naturales palpebrarũ pilos conſumit. Interdum hoc in caſu conſutione utimur, interdum in phalangoſi, cum ſcilicet pars ea palpebræ, unde pili exoriuntur, tarſon Gręci dicunt, introrſum uergens ſecum pilorũ phalangem inuertit. Nonnunquam etiam eandẽ cõſutionem adhibemus, cum laxatis palpebris pili naturales oculum irritant. In ſella igitur laborantẽ uel ante nos, uel à ſiniſtra parte cõſtituimus, ſuperioremq; illi palpebrã inuertimus, hoc modo: ſi longos habet pilos, eos digitis indice utiq; & pollice ſiniſtræ manus comprehendimus: ſi breues, acu linũ trahente ab interiore parte extrorſum palpebrã, qua pili inhærẽt tranſuimus, linoq; apprehenſo ſiniſtra manu attollimus, dextera ſpecilli capitulo foris impreſſo ſinuamus, atq; ita palpebrã inuertimus. Quod ubi factũ fuit, interius ſub ipſis pernicioſis pilis à magno angulo ad paruũ uſq; pertinens incidenda linea eſt: deinde filũ extrahendum: tum pollice ſiniſtræ manus duplici aliquo linteolo ſuppoſito ſupercilium ſurſum extendimus, alijsq; paruis linteolis ad angulos extremos datis à tergo ſtanti miniſtro per ea diſtendere palpebrã iubemus. Poſtea ſcalpello admoto paululum ſupra naturales pilos inciſionẽ obeli figura ab angulo ad angulũ prius perducimus ſolius cutis altitudine: deinde aliam lunarẽ adhibemus, quæ initiũ & finem ibidẽ ubi prior habeat: adeò uero ſurſum incuruata ſit, ut tota ſuperuacua cutis cõprehendat̃: totaq; ea cutis, quę inter duas lineas cõtenta myrtaceũ foliũ imitat̃, in angulũ, qui à dextra noſtri parte eſt, infixo hamo excorianda eſt: deinde ſpõgia deterſo loco, tribus aut quatuor ſuturis plagæ oræ cõmittendę, à media inciſione initio ſumpto, ſic ut acus in prima illa ſub pilis

facta ſectione deſigatur: filum autẽ ex lana ſit, neqꝫ iuxta ſuturas abſcindatur, ſed triũ circiter digitorũ longitudine ſuperſit: quod quidem ad frontem poſtea retractum, aliquo ex gluten habentibus emplaſtris agglutinabimus, palpebræ pilis acus mucrone à ſuturarũ nexu expeditis. Atqꝫ hic quidẽ cõmunis ac tutus chirurgiæ modus eſt. Nonnulli ſunt tamen qui excoriationẽ uitant: unde poſt illam ſub pilis factam inciſionẽ palpebraria uulſella, hoc eſt figura ad palpebræ rotunditatem accõmodata ſuperuacuam cutem attollentes ſcalpello excîdunt, ſuturaſqꝫ, ut diximus, inijciũt. At uero ſi in parte aliqua tantum palpebræ pilorum ſtimulatio exiſtit, ea tantũ in parte manus opera adhibenda eſt: deinde linteis poſca madefactis, ac ſuperimpoſitis deligabimus, ad tertium uſqꝫ diem dilutiore poſca plagam inſpergentes: ac tertio die ſoluemus, abſciſſiſqꝫ filorũ extantibus partibus palpebram uel croco, uel glaucio, uel aliquo ex prohibentibus inflammationem collyrijs illinemus, puta aliquo quod ex croco, & roſis cõſtet. Sed ſi inflammentur ſuturæ, aliquod etiam lene emplaſtrum ſuper dandum, & lacte inſtillato oculus fouendus. Cum relaxatæ poſtmodũ ſuturæ fuerint, præcidendæ ſunt, atqꝫ extrahendę. Noui etiam quendam qui excoriatione facta ſuturas minime adhibebat, ſed cicatricem inducente medicamento curabat: conglutinato enim uulnere, palpebra ex parte retracta pilos in exteriorem partem uerti cogebat. Quemadmodũ alius quidam neqꝫ excoriatione, neqꝫ duabus illis in exteriore parte palpebræ inciſionibus utebãt: ſed interius tantum illa ſub pilis inciſa linea, uel digitis, uel hamo rugoſam ac laxam cutem ſubleuabat, dein duobus tenuibus calamis, aut bracteis aliquibus palpebram longitudine, phebotomũ uero anguſtum latitudine æquantibus, totam ſuperuacaneam cutem interceptam extremis utrinqꝫ reuinctis finibus conſtringebat: atqꝫ ita tota ea cutis, cum non aleretur, emortua, intra decem aut quindecim ad ſummum dies unà cum calamis, aut bracteis illis ſine ullo ferè cicatricis ueſtigio excidebat.

De *aduſtione palpebrarum per medicamenta.* Cap. IX

ADuſtionem palpebrarum per medicamenta adurentia omnes, ut uno uerbo dicam, ueteres repudiarunt, cum ob acrimoniam quæ oculis eſt infeſta, tum uero quia ſi ſupra modum aduſtum ſit, leporaria oculorũ, hoc eſt lagophthalmica affectio ſubſequi cõſueuit: qua cum hient palpebræ, efficitur, ut cuiuſlibet rei occurſu uiſus offendatur. Verum quoniam multi qui pilorum punctionem patiuntur, conſutionis ne nomen quidem poſſunt audire, noſqꝫ inuitos ſæpenumero uel deſperato præſidio uti cogunt, hanc per medicamenta aduſtionem interdum adhibemus. Compoſitio medicamenti eiuſmodi eſt: Calcis uiuæ partes duas, ſaponis Gallici, uel communis tantundem: nõnulli etiam ſpumæ nitri partes quatuor adijciunt. Omnia hæc contrita ex percolato lixiuio, uel ſaponario, uel alterius etiam generis quod ex ficulneo, uel querno cinere factum ſit, urina incorrupti pueri excipiuntur. Hoc medicamentum ſpecilli capitulo ſuper palpebram myrtei folij figura obſeruata inijcimus, ut tantum ſpacij deuramus, quantũ etiam in cõſutione à nobis fuiſſet comprehenſum. Vbi prima iniectione inuſta fuerit cutis, medicamentum ſpongiola detrahimus: ac rurſus impoſitum tandiu immorari ſinimus, quoad nigreſcat locus. Si neqꝫ adhuc nigritiem cõtraxerit, tertio inijciendum eſt. Nigrefacta iam cute, & cruſta iam cõtracta detergendum eſt medicamentũ. Ablutionibus deinde, ac perfuſionibus uſqꝫ ad cruſtæ caſum utendũ eſt: quæ ubi excidit, raſis linamentis, & collyrijs lenibus ad cicatricem plaga eſt perducenda.

De *lagophthalmis, leporina oculorum affectione.* Cap. X

LAgophthalmos eos appellant, qui ſuperiorem palpebrã retractam habent: quod uitium interdum natura, interdum ex uulneris cicatrice, atqꝫ hac uel ſponte inducta, uel ex cõſutione, aut aduſtione, ut modo dixi, negligenter facta euenit. Atqꝫ in hoc ſolo caſu uel mediocris adhiberi poteſt emẽdatio, cum ſatis idoneam craſſitudinem eo loci palpebra adepta ſit. Ipſam enim cicatricem incidere debemus, cõiectiſqꝫ in plagam linamentis oras diducere, ac deligatione uſqꝫ ad ultimam curationem uti, neqꝫ tamen

nimis

nimis exiccantia adhibere, ſed paulò leniora, ac mollientia cõuenit: qualis eſt fœni græci cremor aſperſus, & baſilicum tetrapharmacum diſſolutum, ac linamento impoſitũ.

De conſutione & aduſtione per medicamenta. Cap. XI

QVot pilorũ morbis ſuperior palpebra, totidem etiam inferior obnoxia eſt: nam & amplior ſemetipſa effecta inuertitur, & tum phalangoſi, tum geminato piloꝛum ſuccreſcentiũ ordine infeſtatur. Eodem igitur conſutionis modo etiam hic, immutato tantum linearum ordine, utendum eſt: prius enim lunarem ne ſanguinis defluxu impediamur, deinde alteram obeli figura lineam incidimus. Sub pilis uero ſecare, cum inferior palpebra ſua innata grauitate facile inuertat̃, prorſus reſpuendũ eſt. Reliqua curatio, ut in cõſutione: niſi quod filorum capita fronti minime agglutinamus. Quod ſi etiam hic ſcalpelli opera reiecta aduſtionẽ per medicamenta adhibere uolueris, hanc quoq; à nobis ſuperius traditam habuiſti.

De ectropio ſeu inferioris palpebræ inuerſione. Cap. XII

VT in ſuperiore palpebra lagophthalmum uitium, ſic in inferiore ectropium accidit: tametſi in eo differt quod natura nũquam euenit, ſed interdum ex relaxatione medicamentis hanc uim habentibus illata præcedente inflammatione, interdũ ex cõſutione, aut aduſtione praue adhibita palpebra inuertit̃. Curatio eius talis eſt: Acũ duplex linum trahentem in carnem palpebræ infixam à ſiniſteriore angulo ad dextrũ uſq; traijcimus, deinde capitibus utriſq; acus lino innexo carnẽ attollimus, & ſcalpello ſuccidimus, unà cum carne etiam ipſa acu ſequente. Si hoc modo formam ſuam receperit palpebra, in æqualemq; reſtituta fuerit quantitatem, chirurgia erimus cõtenti. Sin autem adhuc poſt ablationẽ carnis inuertatur, latiuſcula ſpecilli ac cõcaua extremitate ſectę palpebrę extrinſecus ſubiecta, interius palpebrã duabus lineis ſecabimus, quæ à duobus inciſionis exterius factæ angulis incipientes, in acutũ coẽant ad λ literæ græce ſimilitudinẽ, hoc eſt triãgula forma, uertice deorſum ad oculũ, baſi ſurſum ad pilos ſpectante: totãq; eam interceptã particulã detrahemus: tum hiantes plagę oras acu laneũ filũ ducente cõiungemus, duabus ſuturis cõtenti. At ſi ex cõſutione, uel aduſtione inuerſio hęc cõtigerit ſub pilis palpebrę, in ipſa priore cicatrice ſimplex inciſio facienda eſt: eaq; oris diductis linamẽtis replenda: ac deinceps reliqua, ſicut in lagophthalmicis curatione, exceptis fomentis, utendum eſt, quoad conſutæ partes conglutinentur.

De illaqueatione & aduſtione per ferrum. Cap. XIII

IN quibus non ſunt in palpebra multi pili qui oculos ſtimulent, ſed unus, aut duo, aut ad ſummum tres ſe mutuò ſequẽtes, illaqueationem approbamus. Quæ ita fit: acu accepta in aurẽ eius tenuiſſimi capilli muliebris, aut ſimpliciſſimi byſſini fili duo ſimul capita inſerimus, ſic ut duplicato filo ſinum efficiatur: dein in ipſum ſinum uel tale aliud filum, uel capillum cõijcimus, tranſmiſſaq; acu ea in parte qua pili agnati cernuntur, ſpecillo pilum, ſeu pilos in ſinum iniectos ſurſum uertimus: & ſi retentus fuerit pilus, fili ſinum attrahimus: ſin autem exciderit, rurſus per iniectum caput ſinu detracto ac laxato, pilum, ſeu pilos immittimus, atq; iterum attrahimus. Quod ſi unus tantũ fuerit pilus qui oculum irritet, atq; idem tenuis, eum unà cum alio naturali attractũ gummi, aut aliquo alio glutinoſo emplaſtro illinemus: atque ita quoad in unum coaleſcant, deligabimus. Nõnulli tamen ſunt qui aduſtionẽ illaqueationi anteponãt, palpebram inuertunt: inde uulſella extractis moleſtantibus pilis ſiue unus, ſiue duo, ſeu tres ſint, ſcalpelli manubriolo oliuæ nucleũ imitante, aut ſpecillo auriculario, ſeu tali aliquo tenui inſtrumento candente locum adurunt, unde pilus, uel pili fuerũt euulſi. Ita enim fit, ut denſata ibi cute nullus alius pilus renaſci amplius poſſit.

De ueſicis palpebræ. Cap. XIIII

VEſica, quæ hydatis græce dicitur, ſubſtantia quædã eſt pinguis ſub cute palpebræ

præter naturã collecta. In quibuſdã uero præcipue pueris utpote humidioribus adeò augetur, ut multorũ accidentium cauſa euadat: aggrauat enim oculum, atq; ob id fluxionibus exercet: palpebræ ſiquidem ijs aquoſæ ſub ſupercilijs cernuntur, neq; decorè ſurſum poſſunt attolli: ſicq; digitis inter ſe diſtantibus compreſſeris, quod mediũ inter duos digitos eſt, inflari conſpicies. Hi ſanè ſub diluculũ maxime pituita infeſtantur, neq; ad ſolis lucem ualent niſi lachrymantes intuitũ cõuertere: in continuas quoq; lippitudines incidũt. Curatio hæc erit: Aegro apte collocato, duobus digitis indice ſcilicet & medio paululum diductis palpebram cõprimemus, ita ut collectionem quandam ueſicæ in mediũ compellamus: deinde retro ſtanti & caput ſuſtinenti miniſtro ad medium ſuperciliũ paulum attrahat palpebram iubebimus, admotoq; phlebotomo ſcalpello eam tranſuerſa linea ſecabimus: inciſione tamen neq; maiore quàm in mittendo ſanguine fieri cõſueuit, neq; altiore quàm ut uel totam cutem ſecet, uel ueſicam ipſam attingat: atq; hoc diligenti eſt animaduerſione prouidendũ: multi enim altius per incuriam adacto ferro uel corneam tunicam inciderunt, uel certe palpebram muſculorum uulneratione læſerũt. Si igitur ſtatim ſub aſpectũ uenerit ueſica, ſtatim ipſam extrahemus: ſin minus, iterũ ſuſpenſa leuiter manu ſuperincidemus, atq; ipſam ubi proruperit, digitis molli linteolo ſuppoſito, ne dilabantur, apprehenſam hac illac agitãtes, in orbem etiam interdum circumagentes euellemus. Poſt euulſionem duplex linteolũ poſca madefactum imponemus, ac deligabimus. Quidam ſal tritum ſcalpelli manubriolo in plagam inijciũt: quo ſi quid ex ueſica fuerit relictum, abſumatur. Soluta demum plaga ſi inflammatione caruerit, collyrijs inunctis, uel lycio, uel glaucio, uel croco, ſi inflammationẽ patietur, ad id accõmodatis cataplaſmatis, & alijs remedijs curabimus.

De cohærentibus palpebris. Cap. XV

COaleſcit ſuperior palpebra interdũ cum inferiore, interdum cum ſua ipſius ima parte, quam tarſon dicũt: interdũ etiam cum ipſa oculi cornea cohæreſcit. Quod malum pigrum, ac difficilem ad functionem ſuam exercendam oculum reddit. Oportet igitur uel ſpecillo inſerto, uel hamo ſubiecto palpebram attollere, tum ſcalpello ad pterygia excidenda idoneo ſubſecare, atq; ita cohærentiam abſoluere: ſumma diligentia cauentes, ne cornea tunica uulneretur, ne ex hoc procidentia oculi poſtea ſequatur. Poſt abſciſſionem oculum inſtillationibus fouemus: dein linamentis iniectis palpebris, ne iterum glutinentur, diductis, lana oui album exceptum imponimus: ac tertio pòſt die attenuantibus, & ad cicatricem perducentibus collyrijs utimur.

De chalazijs palpebræ labantibus tuberculis. Cap. XVI

CHalazium eſt hebetis cuiuſdam humoris in palpebra collectio: quod ſic uti exteriori palpebræ ſubeſt, diuiſione tranſuerſa exterius ſcalpello facta, ſpecillo uel tali aliquo inſtrumento extrahendum eſt. Si magna & hians plaga eſt, ſutura oræ cõmittendæ, atq; emplaſtrum imponendũ eſt: ſi parua, ſutura omiſſa, ſimili modo curandũ. Si ab interiori parte ſub cartilagine apparet, inuerſam palpebram tranſuerſa linea interius incidimus, chalazioq; extracto muriæ inſtillatione utimur.

De acrochordonibus & encanthidibus, uerrucis ſcilicet & inangularibus. Cap. XVII

VErrucas uero palpebrę, & tubercula quæ propterea quod in magno angulo oriuntur, encanthidas, hoc eſt inangulares appellant, hoc modo curamus: Vulſella comprehenſas ſcalpello excidimus, dein tritam chalcitin imponimus.

De pterygijs ſeu unguibus oculi Cap. XVIII

HIc accidit morbus cum membrana quædã neruoſa à magno angulo plerunq; orſa paulatim ulterius procedit: hac oculus læditur, cum quia adhærendo totũ eius bulbum moueri non ſinit, tum quia procedendo totam quandoq; pupillã operit. Tenuibus ſane, ac albicantibus unguibus, hę enim ſanabiliores ſunt, ad hunc modum curatio

ratio adhibetur: diductis palpebris unguem hamulo paulum mucrone intus recuruato excipimus, ſublatumq́; eum acu ſetam equinam, & linum ualidum trahente paululum in ſummitate incuruata in medio traijcimus, linoq́; uincimus: tum ſuſpẽſum eum tenentes, ſeta equina parte ea tota qua ad pupillam tendit, quaſi ſerrando deſecamus, atq; ad finem uſq; excoriamus: ſcalpello uero totum id quod angulo magno inhæret à radice excidimus, ſumma diligentia adhibita, ut naturalis anguli caruncula relinquat̃: ne ſi ea fuerit ablata rhijas ſequat̃: hoc eſt foramen per quod humor aſſidue deſcendit. Nõnulli lino ſublatũ, ut dictũ eſt, totũ ſcalpello unguem ſuccidũt, cauentes tamen ne cornea tunica attingatur. Poſt chirurgiã parum triti ſalis in locũ inijcimus, lanamq́; oui albumine inſuccatã ſuper damus ac deligamus, poſtea reſoluentes aliquãdiu muriam inſtillamus: ſi inflammatio ſequitur, ad hoc deſcripta medicamenta adhibemus.

De ſtaphylomatis ſeu uua oculi. Cap. XIX

VVa incuruatio eſt corneę tunicę unà cum acinali debilitate, interdũ ex fluxione, interdum ex ulceratione proueniens. Huic morbo curationẽ adhibemus, nõ ut uiſum iam amiſſum reſtituamus, hoc enim fieri nullo modo poteſt: ſed ut laborãtis deformitatẽ aliquantulũ emendemus. Curatio hæc eſt: acus ab inferiori parte ſurſum per ſtaphylomatis radices traijcienda eſt: deinde altera acus duplex linũ ducens ab angulo uno ad alterũ tranſmittẽda, tum manente priori acu lini ſinus incidi, atq; ita duobus filis altero uuæ ſuperiora, altero inferiora aſtringi debent: poſtea acu extracta albũ oui lana excipiendũ & imponendum: inde poſt reſolutionem lenibus inſtillationibus oculus fouendus eſt, quoad unà cum uua lina ipſa excidant.

De ſuppurato oculo. Cap. XX

DE ſuppuratis oculis ſatis erit, ſi Galeni uerba appoſuerimus, quæ in hunc modũ ſe habent: Quidam ex ocularijs medicis noſtrę ætatis Iuſtus nomine, uel ex capitis cõcuſſione multos ſuppuratione oculorũ liberauit: in ſedili ſiquidẽ ipſos erectos collocabat: deinde utrinq; à lateribus caput comprehendens ita concutiebat, ut pus deorſum deſcendere euidenter conſpiceremus: quod quidem inferius ob ſubſtantiæ grauitatem manebat: nam ſuffuſiones, niſi accurate admodum conſtringas, infra permanere minime poſſunt. Progrediens rurſus idem ita inquit: Quinetiam ſæpe cornea tunica paululũ ſupra locum illum, qui iris à nõnullis, corona ab alijs nũcupatur, ubi omnes tunicæ inter ſeſe coẽunt, inciſa totum ſimul pus eduximus. Hoc Galenus in curatoriæ artis tractatu ſcriptũ reliquit. Poſt puris expreſſionem aut aquæ mulſæ, aut fœni græci cremoris, cui mel admixtũ ſit, inſtillatione ulceri expurgato, deinceps reliquam curationem accommodabimus.

De ſuffuſione. Cap. XXI

SVffuſio eſt ſegnis humoris in cornea tunica ſupra pupillam concretio, quæ impedit ne uel uidere, uel certe clare uidere poſſimus: præcipueq́; ob frigiditatem, & imbecillitatem uiſibilis ſpiritus: atq; idcirco ſenibus magis, ijsq́; qui longis morbis laborarunt, euenit: ob uiolentũ uomitum etiam, & ictum, alijsq́; pluribus de cauſis ſolet accidere. Verum de ſuffuſionibus quæ adhuc efficiuntur, cum nihil ad chirurgiam pertineant, in tertio diſſertatũ eſt libro: nunc eas quæ perfectam conſtitutionem, concretionemq́; accepere, ſuis ſignis notabimus. Omnes ſuffuſi fulgorẽ uel multũ, uel paucum intuent̃: nanq; in hoc ab obſcuratiõe & glaucedine diſtat ſuffuſio, quod obſcuratione & glaucedine laborãtes, ne fulgorem quidẽ prorſus uident, ſuffuſi uident. Rurſus igitur & concretionẽ & differentiã ſuffuſionũ, quibusq́; manus curatio ſit adhibenda, te ipſe Galenus docebit. Suffuſum, inquit, oculum cõcludimus, polliceq́; cõpreſſam palpebrã hac illac impellimus, deinde aperto oculo ſuffuſionẽ inſpicimus: ſi fuſio quædã ex digiti cõpreſſione uidet̃ facta eſſe, quæ prius latior, deinde in propriã redeat figurã, & magnitudinem, nondũ ad perfectã duritiem concreuiſſe ſuffuſionem manifeſtum

eſt: tunc uero induruiſſe cognoſcimus, cum nulla neq; quo ad latitudinẽ, neq; quo ad figurã ex cõpreſſione immutatio efficit. Sed quoniam hoc earũ & quæ modice, & quę ſupra modũ induruerunt cõmune indiciũ eſt, color diſtinctionẽ nobis præbebit. Quæ ferri colorẽ, aut cœruleũ, aut plumbo ſimilem habent, eæ mediocriter cõpactæ, aptæq; ad deductionem ſunt: quæ gypſum, aut grandinem referũt, ſupra modum induruere. Poſteaq; ex Galeno hæc didicimus, ad curationem ueniendũ. In ſedili hominẽ collocamus in lucido abſq; ſole loco, ſanumq; illi oculũ accurate deligamus: tum alterius apertis palpebris eum aliquantulũ ad capituli ſpecilli magnitudinẽ ab iride iuxta paruũ angulum diducimus, & retuſa acus parte prius locum ubi pungendũ eſt imprimimus ac notamus, in ſiniſtro oculo dextra, in dextro ſiniſtra manu utẽtes: deinde teretem acus mucronẽ cõuerſum non timide in impreſſam notam defigimus, quoad inani loco excipiatur. Ea nobis erit menſura, ut tantum demittamus, quantũ à pupilla ad iridem intereſt ſpacij. Deſuper igitur à ſumma ſuffuſionis parte acu demiſſa (manifeſte enim ob tunicæ corneæ pelluciditatẽ cernitur) infra regionem pupillæ ſuffuſio deducenda eſt: quæ ſi ſtatim deducta fuerit, paululũ quieſcendũ: ſi redierit, rurſus deducẽda. Poſt deductionem ſenſim circumagendo acus extrahenda eſt: tum cappadocis ſalis modicum aqua diſſolutũ in oculum inſtillandũ: atq; extrinſecus lana exceptum oui album cum roſaceo imponendũ ac deuinciendum: & ne oculus unà cum altero moueatur, ſanus quoq; erit deligãdus. Poſt hæc in cubiculo ſubterraneo ægrũ in lectulo prorſus quieſcere, tenuiq; uictu uti iubebimus, oculis ita uſq; ad ſeptimum diem, niſi aliquid obſtiterit, deligatis: ſeptimo pòſt die ſoluemus, atq; aliquo ex uiſibilibus obiecto uiſionis periculum faciemus. Cauendũ eſt ne hoc uel in ipſa curatione, uel ſtatim pòſt fiat: ex nimia ſiquidem intentione facile iterum redire ac refluere ſuffuſio conſueuit. Si inflammatio urgebit, etiam ante ſeptimum diem ſoluendum eſt, eiq; occurrendum.

De ægilope oculi abſceſſu. Cap. XXII

AEgilops tumor eſt apoſtematicus, qui inter magnũ angulum & nares exoritur: quod quidem uitiũ tum ob corporũ tenuitatem & anguſtiam, tum quia ob oculi uicinitatem & cõſenſum periculum imminet, curationem difficulter admittit. Si igitur ad ſummam cutem eruperit abſceſſus, tota eius extuberans pars uſq; ad os circuncidenda eſt. Si ad malam ſubierit fiſtula, tota ipſa erit aperienda, atq; explicãda: tum os ſi incorruptũ fuerit, radendũ: ſi carie iam uexet, ſpongia ex frigida aqua oculo obtecto tenuibus ac retuſis ferramentis adurendũ. Nõnulli poſt carnis exciſionẽ terebra uſi humorẽ, uel pus in nares traducũt: nos ſola aduſtione cõtenti ſumus, ſic ægilopicis cauterijs adhibitis, ut ſquãma reſoluatur. Poſt quam ex lẽticula & melle, uel malicorio, reliquisq; exiccãtibus medicamentis utimur. At ſi minime ad ſummã cutem, ſed ad angulum ægilops tendit, ſcalpello quo aut oculi unguem, aut uenam ſecamus, totũ id quod inter angulũ eſt, ad abſceſſum uſq; aperimus: atq; inde ex imo carnibus extractis mediocriter exiccabimus. Vini puluiſculus inſperſus mirum in modũ exiccat. Idem aloẽ cum manna facit. Reliquam ægilopum curationem in tertio libro tradidimus.

De auditorijs meatibus imperuijs & compactis. Cap. XXIII

HOc uitiũ uel ex ipſo natali die protinus membrana quadã auris meatũ obſtruente, uel poſtea facta, prius ulceratione, deinde per cicatricẽ carne excreſcente euenire cõſueuit: atq; id modo alte, modo in ſummo tantũ. Si alte eſt impediens mẽbrana, conatus omnis difficilis eſt: tentandũ tamẽ tenui aliquo inſtrumento ipſam incidere. Si in ſummo, aculeato cultello aperienda, ac ſi opus eſt etiã detrahẽda. Quod ſi carnis incremẽto facta fuerit obturatio, id ſcalpello ad pterygia idoneo uel ſpatha polypica excidimus, deinde linteolũ apte ad foraminis menſurã contortũ, aquaq; madefactũ, ac trita chalcitide, uel tali aliquo arido aſpſum, ne rurſus caro increſcat, in aurẽ demittimus. Quod tamẽ ſi inflãmatio fiat, ſtatim extrahendũ eſt: ſi ſanguinis ꝓfuſio ſequit̃, ſpongiã ex aqua frigida expreſſam imponimus, alijsq; ad hoc accommodatis remedijs utimur.

De ijs quæ in aures inciderunt. Cap. XXIIII

IN aures autem non ſolum calculi,ſed uitrum etiam,& fabæ, & ſiliquarum oſſicula incidunt:ac uitrum quidem & calculi eandem magnitudinem ſeruant: fabæ & ſiliquarum oſſicula,& huiuſcemodi reliqua naturali corporis humiditate inflantur,doloresq; nō mediocres afferre conſueuerunt.Quæ ſcilicet ſpecillo auriculario,uel hamo, uel uulſella ſunt eijcienda. Quinetiam uiolenta aliqua capitis concuſſione aure ſupra circulū aliquem poſita excutiūtur. Nonnūquam ſicut aquam quæ in aures inciderit, ita hæc quoq; per calamū ſugēdo extrahimus,cera circūcirca, ne qua ſpiritui aditus pateat,aure obturata.Calculi,& id genus cætera, ſpecillo lana inuoluto,reſinaq; terebinthina,uel glutinoſo aliquo oblito in aurē ſenſim demiſſo ſolent extrahi. Si nō ſequuntur,ſternutatorio aliquo in nares coniecto,os ſimul & naſi foramina obſtruito: ſi neq; ita quicquam proficis,antequam uel inflammatio,uel conuulſio,uel periculū demum aliquod ſubſequatur, ad manum & ſcalpellum tibi eſt deueniendum.Collocamus igitur apte hominem qui id patitur,aureq; eius auerſa ſecundum eam,quæ fibra appellatur,ad baſin ipſius auris lunata figura lineam paruā incidimus,ſpecilliq; auricularij latiuſcula ac concaua parte quicquid intus inhæſerat,protrahimus:deinde conſuta plaga,ratione qua ſolent cruenta uulnera,curamus.

De polypis. Cap. XXV

POlypus eſt tumor qui præter naturam in naribus concreſcit, à marini polypi ſimilitudine ita appellatus: tum quia carni eius perquam ſimile eſt uitiū, tum quia ſicut ille piſcantes ulciſcitur manus eorū ſuis cirrhis implicando,ita hic naribus laborantium obſtructis, & reſpirādi & loquendi difficultatem exhibet. Aſperi & duri & ſubliuidi & maligni,utpote ad cancrum tendentes polypi nō ſunt attingendi.Tenerioribus & laxioribus ac torpentibus, neq; malignis manus eſt admouenda. In ſedili ergo aduerſus ſolarem radium hominem collocabimus: ſiniſtraq; manu naſi eius meatum adapertū tenentes, dextera polypica ſpatha ad myrtacei folij figurā facta polypū, ſeu carnis excreſcētiam circūcidemus,eam in partem ferramenti acie iniecta, qua naribus adhæret: deinde ferro conuerſo manubrioli eius concauitate exciſam carnem protrahemus.Siq; ita purum naſi meatum effectum uidebimus,ad medicamenta deſcendemus:ſin autem pars polypi fuerit relicta, altero ad polypum eradendum accommodato ferramēto immiſſo, modo promouendo, modo intorquendo, modo radendo non timide reliquias uitij educemus. At uero maligni tenuibus ac oliuaribus ferramentis adurendi ſunt: factaq; aduſtione curatio ſequetur eadem quæ in cæteris uſtis. Poſt chirurgiam ſpongia diligenter deterſo loco,poſca aut uinum in nares infundendum:ſiq; tranſierit per palatum ad fauces liquor, bene proceſſiſſe chirurgiam exiſtimandū eſt: ſin minus, circa oſſa quæ iſthmoide appellant, uel etiam ſuperius carnium excreſcentias eſſe indicat,quæ nondum polypicis inſtrumentis fuerunt comprehenſæ.Linū igitur cōuenienti craſſitudine funiculi modo intortum,nodis per duorum aut trium circiter digitorū ſpacium innexis,in foramen utrinq; capitati ſpecilli inſerimus:deinde id ſurſum ad iſthmoides uſq; meatus propellimus:atq; ita per palatū ad os uſq; traiectum duabus utrinq; manibus apprehendentes ultro citroq; trahimus: ut nodis illis,perinde ac ferra,ſuperfluæ carūculæ cōminuantur.Poſtea linamento ad elychnij modū iniecto apertus meatus ſeruandus. Inde poſt tres dies muſa paſtillo, & ſimilibus uitij reliquiæ abſumēdæ,locuſq; ſimul exiccandus.Poſtremo etiam cicatricē inducentes paſtillos adhibebimus,plūbeis fiſtulis per totū curationis tempus,ſi opus ſit,naribus inſertis.

De curtis. Cap. XXVI

CVrta in naribus aut labris hac ratione curātur. Cutem ab inferiori parte ſubſecamus,deinde plagarum oris cōiunctis,demptiſq; callis ſuimus & cōglutinamus.

De epulidibus & parulidibus gingiuarum tuberculis. Cap. XXVII

EPulis carnis eſt extuberatio iuxta aliquē dentem in gingiuis exorta. Parulis uero

abſceſſus in gingiuis. Epulidem uulſella aut hamo exceptam excidimus: at parulidem circumcirca exciſam linamentis implemus. Memini etiam ſæpenumero cum tantum à me phlebotomo fuiſſet puncta, pure exempto deſijſſe. Poſt chirurgiã ſtatim uino, poſtero die mulſa aqua gingiuam colluemus. Sequenti die floridum cataplaſma, quod antheron uocant, plagæ quoad ſaneſcat imponemus: quod ſi putreſcat gingiua, neque accommodata ad id medicamenta ſuccurrant, tenuibus ac retuſis ferramentis erit adurenda.

De dentium euulſione. Cap. XXVIII

DEntem circunraſum ac ſcarificatum uſq; ad radices forcipe paulum cõcutientes extrahimus: ſi uero exeſus ſit, antè id foramen tenui linamento replendum eſt, ne ſub forcipe confringatur. Poſt euulſionem tenuiſſimo ſale carunculæ reſtantes infricatæ abſumuntur: deinde uino aut poſca, quoad ſeneſcat, locus colluendus eſt. Sed ſuperuacanei etiam quidam dentes agnaſcuntur, è quibus illos, qui radici adhærent, ſcalpro exciſorio ſolemus excidere: qui non adhærent, forcipe educimus. Si aliquis uero dens uel ſupra modum excreuerit: uel cõfractus fuerit, eminens eius pars lima erit deterenda. Adhærentes etiam dentibus, ut ſolet, ſquãmulas uel ſpecilli acuto capitulo uel raſorio inſtrumento, uel limula quoq; expurgamus.

De linguæ retractione. Cap. XXIX

ANcylogloſſum uitium eſt linguæ quod nonnunquam à primo natali die euenit, membranis linguam continentibus durioribus ac curtioribus effectis: nonnunquam ex aduentitia cauſa, cum ſub lingua exulceratione aliqua durior cicatrix euaſerit. Qui natura hoc patiũtur, cognoſci ex eo poſſunt, quod & tarde loqui incipiunt, & nulla præcedente ulceratione, maius quàm par erat ſub lingua uinculũ habere inſpiciuntur. Qui ex aduentitia cauſa laborant, cicatricem manifeſte præ ſe ferunt. Collocato igitur in ſedili homine, & lingua eius ad palatum ſublata, membraneum illud uinculum per tranſuerſum ſuccidendũ: ſi ex cicatrice uitium ſit, hamo callus exceptus attrahendus, & obliqua linea incidendus, ſic ut retractionem illam abſoluamus: ſumma cura adhibita ne alte fiat inciſio: ſiquidem profuſionem ſanguinis, quæ uix poſſit cohiberi, ea res afferre cõſueuit. Poſt chirurgiam ex aqua frigida, uel poſca plaga eſt eluenda: deinde relaxantibus, carnemq; citantibus medicamentis curanda.

De tonſillis. Cap. XXX

SIcut glandulæ colli cum induruerunt ſtrummæ appellantur, ita etiam pariſthmia cum ex inflammatione intumeſcũt, & excreſcunt quaſi exiccata, difficultatemq; & deuorationi & ſpiritui exhibẽt ex aduerſo ſe mutuò ſpectãtes, antiades, hoc eſt tonſillæ nominantur: à quibus quidem, cum adeſt inflammatio, abſtinendum eſt: inflammatione uero aliquantulum finita manus adhibendæ: præcipue ſi albæ, conſtrictæ, & ad radices anguſtæ fuerint. Nam quæ laxæ ſunt & rubræ, latamq; habent baſin, facile ſanguinis profluuio periclitantur. Collocato ad ſolis fulgorem homini hiare iubemus, capite à poſteriore parte in miniſtri manus depoſito, ſic ut immobile præſtetur: ac lingua eius ab altero ad inferiorem maxillam inſtrumento ad id facto depreſſa, nos iniecto hamo tonſillam apprehendimus, eamq; intactis quatenus fieri poteſt, membranis attrahimus: deinde totam ipſam à radice excidimus ſcalpello, quo retractionem linguæ ſubſecare conſueuimus, ad manum qua operamur accommodato. Sunt enim duo huiuſcemodi inſtrumenta aduerſa inter ſeſe acie recuruata. Vnde exciſa uua altera eodem modo, ſed tam inſtrumento oppoſito, quàm manu aggredienda eſt. Poſt chirurgiam ex aqua frigida uel poſca gargarizandum. Si ſanguinis aliqua eruptio infeſtet, rubi, roſarum, & myrti decocto tepido eſt utendum: ſi ſanguis copioſior feratur, plantaginis & ſolidaginis ſucco, uel paſtillo ex ſuccino, uel lemnio ſigillo ex poſca diſſoluto collutio facienda. Fluxu ſanguinis repreſſo, poſtero die roſarum flore, croco, &

amylo

amylo ex lacte uel aqua, uel oui albo, uel aqua mulſa roſacea inungendum. Si ſordem ulcera contraxerint, collutionibus & inunctionibus ex melle utendum eſt.

De uua. Cap. XXXI

GVrgulio cum ſit uocis quaſi plectrum quoddam, ſępe à capite deſtillationem excipit: ac præter naturam auctus, cum oblongus & tenuis euadit, columella, cum craſſus & rotundus, uua appellatur, utrunq; à ſimilitudine nomen adeptus. Cui malo, ſi neque generalibus medicinis, hoc eſt ſanguinis miſſioni, aut purgationi, neque ijs quæ loco applicantur, hoc eſt aſtringentibus, aut reprimentibus, aut diſcutientibus remedijs ceſſerit, manuum opera eſt ſuccurrendum, ne aſſidua irritatione tuſſim & uigiliam, ſtrangulationem interdum quoq; afferat. Cõtractis igitur uuis & rotũdis, neq; oblongis & cruentis uel ſubliuidis manus nõ ſunt admouendæ: aliæ, quę tenues, quæ oblongæ, quæ in ſummo attenuatæ, quæ reſolutæ, neq; cruentæ admodum ſed ſubalbicãtes ſunt, præcidi debẽt: quippe quæ ſtatim à principio carere inflãmatione etiam ſoleãt: idq; tantũ præcidendum eſt, quo longior uua eſt, quàm eſſe naturaliter debet. Nam ſi tota prorſus excidatur, ſicut maximũ thoracis partibus affert nocumentum, ita mutos interdũ homines reddit. Curationis ratio talis eſt: Ad ſolis radios hominem cõſtituimus, atq; ei quantum poteſt hiare iubemus: dein uuaria forcipe, aut uulſella ſuperfluam uuæ partem prehenſam atq; in inferiorem partem tractam, ferramẽto ad id facto, aut ſcalpello excidimus. Poſt hoc eadem facienda ſunt, quę in uenarum exciſione ſuperius poſui. Sæpenumero tamen incidit, ut uel ob laborãtis timiditatem, uel ob ſanguinis profuſionis metum, uel ob medicamenti ariditatem ferrũ renuamus, & adurente potius medicamento eam conemur conſumere. Qua in re illud quod in palpebrarum aduſtione poſui, uel tale aliquod medicamentũ adhibebimus. Eo enim inſtrumenti quo uuas adurimus cauitatibus excepto hominis hiantis lingua à miniſtro linguæ cohibitorio inſtrumento accõmode adaperto depreſſa, tantam uuæ partem comprehendimus, quantam etiam excidiſſemus. Medicamentum autem neq; nimis liquidum ſit, ne difluat, & ex uua delapſum inferiora membra corrodat. Vnde etiam homini, ne per totum aduſtionis tempus deglutiat, eſt præcipiendum: neq; nimis durũ, quo facilius poſſit uuæ inſidere. Si ſemel iniectũ in ſumma uua nigritiem induxerit, quieſcemus: ſin minus, imponẽdum etiam bis erit: cura habita, ut toto hoc tempore deorſum inclinatum os homo contineat: quo extrà & quod aſſidue colliquat ſputũ, & medicamenti portiũculæ ex ore poſſint effluere: horæ enim unius ſpacio uua tabefacta emoritur, tertio aut quarto pòſt die excidit. Aduſtione in hunc modũ facta, indice molli lana aut ſtuppa inuoluto gurgulionem circumcirca extergimus, uel aqua etiam colluere iubemus. Quo in caſu ſicut in ijs quibus tonſillæ fuerunt exciſæ, collum ob communem, quam cum his habet, affectionem inſuccatis ex chamæmelino oleo lanis extrinſecus fouendum eſt, gargarizandum etiam & inungendum ſimiliter.

De ſpinis in gula infixis. Cap. XXXII

SAepenumero dum comedimus ſpinæ, tum piſciũ, tum aliorũ in diuerſas gulæ partes deuorãtur: quæ ſi in aſpectu ſint, ſpinas eijcientibus inſtrumentis, quę priuatim acanthobola appellant, erũt educendæ. Si in imo ad ipſum glutiendi orificiũ hæſerint, alius modus erit adhibendus. Quidã maiora fruſta, ut ſunt lactucarũ caules, aut panis buccellas deuorandas cenſent: alij ſpongiolam puram ac mollem lino alligatam deuorari iubent, deinde apprehenſo lino ſurſum attrahi: atq; id ſæpius, quo ſpina ſpongiæ infixa, unà cum ipſa educatur. Leonides uero cataplaſmata maturantia extrinſecus imponenda præcipit: qualia ſunt, quæ ex cruda diſſolutione, hoc eſt farina cruda oleo & aqua ſubacta cõſtant: ut pure moto ſpina, deinde ſponte excidat. Si ſub ipſum tempus quo ſpina infigitur, uel antequam in uentriculo fiat concoctio, affuerimus, neq; quod eſt infixũ uidere poſſimus, uel digito, uel pinna demiſſa euomere iubebimus. Ita enim aliquando fit, ut unà cum cibi uomitione ſpina etiam exiliat.

De gutturis inciſione. Cap. XXXIII

OPtimi chirurgiæ autores hanc quoq; ſcalpelli operam ſcriptis tradiderũt. Antyllus enim ita inquit: In anginis, ſicut de uictus ratione docebimus, manuum opera reſpuenda eſt: cum inutilis futura ſit inciſio, ubi & arteriæ omnes, & pulmo patiuntur. In morbis uero qui circa os & mentũ cum inflammatione contingunt, quinetiam tonſillis quæ gutturis os operiunt, cum nulla arteria laboret, non ab re eſt, quo præfocationis periculũ effugiamus, gutturis inciſione uti. quã ita adhibebimus: Infra gutturis caput ſub tribus circiter aut quatuor eius orbibus partẽ quandã aſperæ arteriæ (tota enim diuidi abſq; periculo non poteſt) incidemus: idoneus ſiquidẽ locus is eſt, tum quia uacat carne, tum quia longius arterias ab ea parte ſitas habet. Reflexo igitur in poſteriorem partem ægri capite, ut manifeſtius in cõſpectum noſtrũ ſeſe proferat guttur, ipſum tranſuerſa linea inter duos orbes ſecamus, ſic ut cartilagine intacta, membrana tantum quæ cartilagines iungit, incidatur. Quod ſi quis timidior hoc in opere ſit, hamo is ſublatam cutem prius poterit diuidere, deinde ita nudum guttur aggreſſus, uaſis omnibus ſi qua occurrant ſummotis, ſectionem immittere. Hęc Antyllus. Gutturis autem inciſionem, tum ex ſpiritus quodã cum ſonitu eruptione, tum ex uocis interruptione coniectabat. Vbi ſtrangulationis periculum præterijt, oris plagæ renouatis ſuturas adhibebimus, ita ut cutis ſola omiſſa cartilagine conſuatur. Deinde ſicut recentibus uulneribus medicamentum imponendum: ſi non glutinetur, carne replentibus utendum. Si quis etiamnum ad manus noſtras perueniet, qui finiendæ uitæ deſiderio guttur ſibi uulnerarit, eadem curatio erit adhibenda.

De abſceſſu. Cap. XXXIIII

POrrò abſceſſum carnium, ſeu carnearũ partium corruptionem & mutationem eſſe, & quinam ortus eiuſmodi, quotq; eorum differentiæ ſint, in quarto libro ſatis ſuperq; dictum eſt: nunc eos tantum qui manus operam deſiderãt, perſequemur. Cum perfecta in pus facta fuerit mutatio, tunc ad chirurgiam eſt nobis ueniendũ. Pus motũ eſſe ex his facile cognoſcere poterimus, ſi dolor, & febris quę infeſtabat, ſi rubor, ſi pulſus, & reliqua inflãmationis ſigna diminuuntur: ſi in acutũ tumor faſtigiatur, ſi ad digitorum cõpreſſionem pus ſubſidit: quanquam hoc in abſceſſibus tantũ, qui in ſummo ſunt, conſideratur. Vnde etiam ſi quandoque ob abſceſſus altitudinem neq; tactu quicquam ſentietur, neq; acuminabitur tumor, nihilominus tamen manuũ opera erit adhibenda. Sciendũ quoq;, ante perfectam interdum in pus mutationem abſceſſus, ſi uel iuxta articulos, uel præcipuum aliquod membrũ ſint, incidi uel ſubcrudos oportere: ne immorante putrefactione aut ligamentum, aut membrũ aliquod neceſſarium ſimul corrumpatur. Quæ item prope digitos abſcedunt, ante integrã maturationem aperiẽda eſſe præcipit Hippocrates, ne in corroſionẽ oſſis, perforationemq; procedãt. Inciſiones uero non eodem modo ſunt faciendæ, nam in fronte naturales lineas, in capite capillorum exortus ſequemur, decori quatenus fieri poteſt, conſulentes: in longitudinẽ uero brachia & crura, ſecũdum muſculos & tendones incidemus. Neruis demum & arterijs, principalibusq; corporis partibus euitatis magnum adhibebimus ſtudium, ut modo in rectum, modo in obliquum, prout res exiget, abſceſſum aperientes tutam adminiſtrationem noſtram præſtemus: paruos quidem una, magnos pluribus pro ratione magnitudinis, tenuioribus tamen, atq; ad puris exitum idoneis lineis ſecabimus: plurimũ faſtigiati, incocti, tenues & emortui latius ſunt excidendi, ut plaga ad triangulæ, aut mirteæ, aut cuiuſuis alterius angularis figuræ ſimilitudinẽ euadat. Nam orbiculariter qui exciduntur, difficilius ſaneſcunt: qui nõ faſtigiantur, ſimplici diuiſione ſunt aperiendi: qui magnũ ſinum habent, ſi carnoſa cute atq; ad conglutinationem idonea operiuntur, ſatis habebunt ſi idoneis ad puris exitum inciſionibus ſecentur: ſi tenuis, atq; admodũ macilenta cutis ſuperiacet, ſimplici in longitudinem linea aperientur, plagæq; oræ ſi graciles, minimeq; carnoſæ uidebuntur, erunt excidendæ. Poſt ſcalpelli operam ſpongia diligenter locus eſt abſtergendus: tum ſi paruus ſit abſceſſus, ſemelq;

melq; ferrum expertus, linamentorū ſimplici iniectione eſt utendum: ſi magnus, multisq; apertus inciſionibus, implicitum in longitudinem linamentum, lemniſcum Græci appellant, per foramina eſt traijciendum. Simili modo quæ exciſa cute aperuimus, linamentis implentur: ſi ſanguinis profuſio ſequitur, aqua frigida uel poſca utendū eſt: ſi neq; ita quicquam proficitur, chalcitidis puluiſculus inſpergēdus eſt: quam quidem chalcitin ob fluidam putredinem ſæpenumero etiam adhibemus. Cæterum hyeme & in neruoſis partibus uino oleo admixto, æſtate & carnoſis in locis aqua cui oleum adiectū ſit, uel etiam uino ipſo & oleo, ſed frigido ſplenia ſunt madefacienda, atq; imponenda: tum deligādum eſt: poſtero die iiſdem his liquoribus humectandū: tertio poſt die reſoluta ac ſpongia deterſa plaga linamētis tetrapharmaco imbutis utimur. Si abſque inflammatione eſt, eadem irrigata ſplenia ad linamentorum etiam cuſtodiam ſuperimponenda ſunt. Si inflammatio adeſt, conuenientibus prius fomentis adhibitis cataplaſma ad concoquendum idoneū inijcere commodiſſimum eſt. Finita uero inflammatione, pus mouentibus, carneq; replentibus medicamētis curabimus. Sinus etiam, ſicut in quarto dictum eſt libro, glutinantibus ſanamus.

De ſtrummis. Cap. XXXV

STrummæ ſunt quaſi glandulæ quædam induratæ, quæ in ceruice præcipue, alis, & inguinibus concreſcunt, græcoq; nomine chœrades appellatæ ſunt: uel à chœradibus aſperis ſaxis, uel à ſuibus quæ chœri dicuntur: multiparū enim ac fœcundum eſt animal: uel propterea quod tale quodammodo collum porci habere cōſpiciuntur. Naſcūtur autem ſtrummæ aut in anteriore colli parte, aut in altero tantū, aut in utroque latere: atq; eæ modo una, modo duæ, modo plures: in propriaq; membrana ſingulæ perinde ac ſteatomata, & atheromata, & melicerides continentur. Quæ dolore infeſtant, & attrectatione, medicamētisq; irritantur, peioresq; fiunt, malignæ ſunt, à nōnullisq; carcinodes dicūtur: perſpicuumq; eſt eas neq; manui, neq; ſcalpello ceſſuras. Quocirca his omiſſis, illis tantum quæ & ad tactum, & ad opportunam medicamentorum impoſitionē benignæ ſunt, in hunc modū manus erunt adhibendæ. Si in ſumma cute ſerpunt, eas ſimplici diuiſione facta à ſuperiectis partibus abſoluemus, oraſq; hamis cute ſublata, poſtea à carne & cute diducemus, ſicut in uenarum delectione diximus: atq; ita paulatim euellemus. Si maiores fuerint, hamo infixo ſunt ſuſpendendæ ac ſimili modo ſubſecandę, ſic ut à cohærentibus partibus undecunque liberentur: cura habita ne uel ſoporariæ arteriæ, uel nerui retrouerſi attingantur. Si uero uena aliqua inciſa cruore effuſo operi impedimento ſit, laqueo debet aſtringi: uel, niſi magna admodum fuerit, penitus etiam abſcindi: atq; ita cum ſtrummæ radix in anguſtum uenerit, perite admodum eſt excidenda, immiſſoq; indice pertractādus locus, ac diligenter ſcrutandum nunquid aliæ adiaceant, eæq; eodem modo ſunt extrahendæ. Quod ſi ſuſpicio ſit, ne in ſtrummæ fundo uas aliquod magnum unum, uel plura etiam ſubſint, ferro abſtinere commodum eſt, laqueoq; ipſam conſtringere conuenit, quo particulatim tuto ſponte excidat. Quo in caſu per linamenta poſtmodum curatio adhiberi conſueuit: nam ubi exciſa eſt, oræ committuntur. Porrò inciſiones per rectam lineam ſunt faciendæ: & ſi nihil ex cute redundat protinus conſuendæ. Si redundat, parte ea ad myrtei folij figuram exciſa, ſuturæ adhibendæ, medicamentumq; conglutinans ſuperdandum eſt.

De ſteomatibus, atheromatibus, & meliceridibus: quod eſt ſeuationibus, pultationibus, & melliſauijs. Cap. XXXVI

SEuationes, pultationes, & melliſauia licet ex genere abſceſſuum ſint, in eo tamen differunt, quod qui proprie abſceſſus dicuntur pituitoſi ſunt, & dolorem afferūt, acremq; humorē, & corrodentem continent, neq; propria membrana, ſiue tunica includūtur. Quinetiam hæc inter ſe quoq; diſtant: nam in ſeuatione qui ineſt humor ſeuo, qui in pultatione frumentaceæ pulti, qui in melliſauio melli, prout appellatio præ

ſe fert, ſimilis eſt. His uero notis poſſunt diſcerni: ſeuatio alijs durior attrectationi cedit, ac locũ mutat, radicemq; anguſtiorem habet: mellifauio uero, ſi attingas, quaſi lentum quoddã corpus ſubeſt, quod preſſum tarde fluit, & citò refluit. Eadem his quæ ſtrummis adhibenda curatio eſt, inciſione, diductione, ſuturis reliquis: tantum id cauendum ut mẽbrana inuiolata ſeruetur, ne humor effuſus tum operi non paruo ſit impedimento, tum particulas aliquas relinquat, quæ poſtea in cauſa ſint, ut plerunq; circa manus articulum, aut talum, ac demũ omnes partes, quæ articulis mouentur, denuò tale malum oriatur: quemadmodũ ſtrumma, ubi uel tota, uel aliquid ex ea relictum eſt. Quod ſi tale quid incidit, melius eſt non conſuere, ſed excedentibus medicamentis reliquias conſumere commodiſſimum eſt.

De dilatatione quam aneuriſma appellant. Cap. XXXVII

DIlatatio, quę aneuriſma à Græcis dicitur, tumor eſt mollis, ac digitis cedens, cuius ortus è ſanguine & ſpiritu eſt. De qua ita Galenus: Aperto, inquit, arteriæ orificio, affectio fit, quæ dilatatio appellatur: id quod ex uulnere interdum contingit, cum cutis deſuper arteria neq; cõglutinata, neq; carne obſtructa ad cicatricem perducitur: quæ affectio tum ex pulſu arteriarum, tũ ex eo dignoſcitur, quod ſi manu comprimatur, tumor refluente in arteriã ſubſtantia, quæ ipſum efficiebat, ſtatim euaneſcit. Hæc Galenus. Nos uero ipſas inter ſe ita diſtinguemus. Quæ arteriarũ apertis orificijs fiũt, oblongiores ſunt, altiusq; conſiſtunt: tum ad digitorum impreſſionem ſonitum quendam ędunt. Quæ autem ex uulneratione cõſtitere, nullum huiuſmodi ſonũ efficiunt, ſuntq; rotundiores, & in ſummo ſubeſſe ſentiuntur. Iis igitur quæ in alis, inguinibus, colloq; exiſtunt, item ijs quæ alijs in locis prægrandes apparent, ob uaſorum magnitudinem manus adhibere recuſabimus: illas aggredi quæ extremis in partibus, brachijs & cruribus, & in capite ortæ ſunt, nõ erit alienum. Curatio hæc eſt: Si per apertionem tumor extiterit, recta linea per longitudinem cutis eſt incidenda: deinde oris hamulis diſtractis undiq; arteria, ſicut de uenarũ exemptione diximus, diducenda, atq; inſtrumentis ad id factis à carne abſoluenda eſt: eadem item acus traiectione, & lino utrinq; facta deligatione utendũ, prius tamẽ intercepta arteriæ parte ſecta atq; exinanita, tum quę pus citent, quoad uincula excidant, medicamenta ſunt imponenda. Si ex ruptura dilatatio eſt, tota eſt, quatenus fieri poteſt, unà cũ cute digitis prehendenda: deinde acu duplex linũ trahẽte infra prehenſam partem tranſmiſſa, ac lini ſinu forfice præciſo, ita binis utrinq; capitibus, ſicut de ſtaphylomate dictum eſt, hincinde tumor eſt uinciendus. Quod ſi timemus, ne fila illa dilabantur, alteram acũ duplici ſimiliter filo inſerto, ſic ut priorem totam cõprimat, traijciemus: atq; eodem modo ſinu præſecto quatuor filis, geminis utrinq;, tumorẽ deligabimus: uel tumore in medio aperto, atq; exinanito cutem circũcidemus, uinctis illic partibus omiſſis. Inde impoſito ſplenio ex uino atque oleo linamentis poſtea curabimus.

De bronchocele gutturis ramice. Cap. XXXVIII

BRonchocele eſt tumor in collo magnus ac rotũdus, ab interioribus partibus hanc appellationem ſortitus: cuius duæ ſunt ſpecies, aliæ ſeuationes, alię dilatationes referunt. Dilatationes referentes, ijſdem quibus dilatationes notis cognoſcemus: atque ut deſperatas relinquemus: quippe cum omnes promiſcue dilatationes, & præcipuę quæ circa collum ſunt, ſcalpelli operam ob arteriarum magnitudinem non ſine periculo admittant. At ſteatodes quemadmodum ſeuationes curabimus, ſeparatis atq; euitatis uaſis, ſicut in ſtrummarum curatione docuimus.

De ganglio nerui contortione. Cap. XXXIX

GAnglium eſt nerui contortio, quæ ex ictu aut defatigatione in nodo manus, aut talo, lociſq; quæ articulis mouentur plerunq;, in alijs nonnũquam corporis partibus etiam accidit. Hanc affectionem conſequitur tumor concolor, renitens, & dolore uacans,

re uacatis: qui tamen, ſi uiolenter aliquis cōpreſſerit, torpidum quendam ſenſum exhibeat: non alte inſidens, ſed ſub ipſa cute ortum habens: in latus tantum labans, prorſum aut retrorſum minime, etiam ſi quis uiolenter impellat. Quæ in cruribus, aut brachijs, aut extremis partibus ſunt, excidere tutum non eſt: quippe cum periculum immineat, ne membrum illud mancum reddatur. Quæ in capite, aut fronte cōtigere, ita curabimus: Summā cutem ſcalpello aperimus, deinde, ſi parua ſunt, uulſella comprehenſa à radice excidimus: ſi magna, hamis ſublata circumcirca diducimus, atq; extrahimus: poſtremo ſuturis oras coniungimus, medicamentoq; utimur, quod cruentis uulneribus inijcitur.

De ſanguinis miſsione per uenas. Cap. XL

LIcet uenæ ſecādæ modus omnibus iam manifeſtus ſit, tamen ut & artificioſas eius diſtinctiones tradamus, & nihil, quod ad chirurgi operam ſpectet, prætermiſſum eſſe uideatur, in præſentia quoque à nobis non erit negligendus. Primus uenæ ſecandæ ſcopus ac finis eſt, ut redundans ſanguis euacuet. Sanguinis uero redundantia duplex eſt: una quo ad uires, etiam ſi uenæ ipſæ plenæ non appareant: ob quam citò imbecilles debileſq; redduntur homines, cum natura onus quaſi ſarcinam quandam ferre minime ualeat: altera quo ad ipſa quæ ſanguinem continent receptacula, ipſa ſcilicet ſanguinis interfuſione cōſiderata, licet nō moleſte id natura ferre uideatur: ex qua ruptis interdum uenis ſputa cruenta, aut aliquæ aliæ ſanguinis profuſiones ſequi conſueuerunt. Illa quo ad uires ſanguinis redundatio, ex corporis grauatione: hęc quo ad uenas, ex uenarum diſtentione & repletione dignoſcitur: utraq; exinanitionem procurādam eſſe indicat. In primo igitur morbi die, ſi neceſſitas urgeat, interdum ſanguis erit mittendus: prius tamen concoctione in uentriculo, aut iuſta in ſanguinem mutatione in iocinore obſeruata. Quod ſi aliquam ob cauſam inter initia facta uenæ ſectio non fuerit, ultra ſeptimum diem ea uti non erit abſurdum: ſi modo id & neceſſitas requirat, & ægri uires non recuſent. Debet porrò is qui ſanguinē mittere uult animaduertere, ne multorum excrementorum in inteſtinis retentio ſit: quod ſi eſt, leni prius clyſtere eſt utendum, ne uenæ ab inteſtinis putridam aliquam excrementorum ſubſtantiam trahant. Atq; illis quidem qui ob præſentē morbū ſanguinis detractione indigent, quocunque tempore, acceſſionum tantum febris uigore euitato, uenam ſecare non incommode poterimus: ſi continua tamen febris infeſtet, matutinum tempus magis erit idoneum: ijs uero qui nullo morbo præſente tutelæ potius, ac præſeruationis cauſa ſanguinis exinanitionem requirunt, uer competit. At in ætatibus id caueri oportet, ut ſicut uſq; ad quartumdecimum, ita poſt ſexageſimum annum nunquam, niſi irrecuſabilis aliqua cogat neceſſitas, ſanguis mittatur: atque illud ſit perpetuum, ut ijs qui imbecillioribus uiribus præditi ſunt, detrahere ſanguinem euitemus. Iam uero in recenti membrorum inflammatione ex aduerſa parte, in longinqua & diutina ex proximis eſt detractio facienda. Quæ quidem cum ex multis alijs corporis locis, tum plerunque ex interiore cubiti parte fieri ſolet. Quocirca ignorandum illud non eſt, interiori uenæ, quæ alaris appellatur, arteriam, mediæ neruum per totum ſubeſſe: ſuperiorem uero, quam humeralem dicunt, metu omni uacare: atq; in capitis quidem morbis humeralem, in ijs qui infra collum infeſtant, alarem, in utriſque mediam eſſe incidendam. Oportet ergo partem quandam brachij circa muſculos faſciola aliqua anguſta deligare, deinde mutua manuum inter ſe perfricatione repletam uenam, quæ uſui idonea eſt, tranſuerſa linea ad ipſius tantū latitudinem incidere. Nam & maiores plagæ difficulter coëunt ac ſaneſcunt, & anguſtiores præterquam quod craſſioris humoris exitum impediunt, etiam inflammationes mouent. Vbi uero poſt biduum, aut triduum, aut etiam quatriduū, quod interdum incidit, detrahere adhuc ſanguinem ſperamus, obliquiori linea uena eſt incidenda, ut in brachij, & manus inflexione hians ſubinde non facile coaleſcat. Ita Antyllo placet. Quantitas uero humoris detrahendi & ualiditate uirium, & morbi magnitudine erit metienda. Cum igitur multa ſuberit

humoris ac feruens materia, ſemel uel uſq; ad animi defectũ ſanguis erit detrahendus: cum uidelicet ualentibus adhuc uiribus æger deficit, nõ ex humoris alicuius ad ſtomachum effuſione: qua ex cauſa fit, ut multi inter initia ſtatim, antequã ſatis detractũ ſit, animi deliquio laborent: ſed illud eſt opus, ut euacuationis ratione animi defectus his cõtingat. Nam ſi multam exinanitionem res exigit, & uires ſunt imbecillæ, medicina hæc erit diuidenda, ſic ut primo die minus quàm debeat: ſecũdo rurſus, & item tertio, ſi opus fuerit, quod reſtat detrahamus. Neq; in plena tantum corporis conſtitutione, quam plethoricã dicunt, totũ ſimul exinanimus, ut inquit Galenus: uerumetiam ob affectus alicuius uehementiam, quamuis totum corpus in humorũ æquabilitate conſtitutum ſit: utputa cum è naribus, uel aliquo alio ex loco ſanguis erumpit: niſi tamen magna admodum fuerit copia. Ex oppoſitis etiam partibus auertendæ materiæ cauſa uenam ſecamus. Simili modo in uehementi inflammatione laborantibus, ut colicis, renibus calculoſis, lippitudinibus, ac cæteris quæ ita acute infeſtant: dolor ſiquidem & calor inflammati membri in cauſa eſt, ut licet totum corpus excrementis uacet, fluxio tamen ſequatur, quam minuere tunc neceſſe eſt, ea euacuatione adhibita, quæ maxime & ætati, & naturæ ægrotantis conueniat: temporis inſuper, & regionis, & conſuetudinis habita ratione. Vbi uero iuxta ſectam uenam inflammatio aliqua extiterit, ſicut in lateralibus & iocinorarijs, mutationem ſanguinis tum colore, tum habitu expectare cõmodiſſimum eſt: diuerſus enim à naturali ſanguis inflammatus efficitur. Nam ſupra modũ excalfactus, ſi prius erat ſubcrudus, rubicũdior & flauior euadit. Si prius huiuſmodi erat, in nigrum ex aduſtione conuertitur. Non ſemper tamen hæc expectanda mutatio eſt, ſed interdum antequam fiat, deſiſtendum: id quod duabus de cauſis contingit, uel ex inflammationis malignitate, quæ nihil remittit, ſed uehementer affixa eſt: uel ex uiriũ imbecillitate, quam ex pulſuum attrectatione cognoſcere poteris: nam tum in uehementia & magnitudine inæquales, tum obſcuros pulſus deprehendes. Quinetiã tenor ipſius fluxus refractus, debilitatas iam eſſe uires manifeſtat. Si uero & nihil ex ijs obſtiterit, & æger uigenti ætate fuerit, mutatio hæc erit expectanda: atq; eo magis quo melius temperatum corpus nobis ſeſe obtulerit. Quod ſi ante cõuenientem detractionẽ ſanguis inhibeat̃, id quod fit uel ob timiditatem & animi defectũ, uel ob humoris coagulationem, uel ob nimiam conſtrictionem: ſingulis his erit occurrendum. Animi defectum naribus admotis ſuccis refocillabimus: conſtrictioni relaxato uinculo ſuccurremus: coagulationẽ ſanguinis uel oleo infuſo, uel digitis calfacto loco diſſoluemus. Reliquus ad ſanguinem mittendum apparatus omnibus in promptu eſt. Atq; ita in cubito agitur. In fronte uero, cũ ibi detractio facienda eſt, ut in capitis doloribus, ad hunc modum fit: Ablutione prius locũ fouemus, deinde habenula collum deligamus: inſerto tamen digito ac ſuſpenſo uinculo iuxta guttur, ne ſtrangulatio ſequatur: atq; ita tumeſcentẽ in fronte uenam phlebotomi uel ſcalpelli acie ſecamus. Simili modo quoq; iugularibus uenis in ſummitate cutis apertis ſpecilli latiuſcula ac cõcaua extremitate ſanguinem excipimus. Item quæ ſub lingua ſunt in anginarum morbo, omiſſa conſtrictione per tranſuerſum inciduntur. Sunt qui eas etiã quæ in magnis angulis apparent, in capitis uel oculorum diuturnis morbis eodem modo ſecandas ducant. Itidem quæ in naribus inſunt, uel capitulo ſpecilli cõprimentes, uel aſperatis quibuſdã inſtrumentis irritantes rũpant. In capitis quoq; morbis quę ſecundũ aures ſunt, incidi conſueuerũt: ſicut quę ſunt in poplitibus cũ renes laborant. Quę uero ſunt in cacuminibus membrorũ, quæ ſupra uincula extant, ubi & manuũ inter ſe attritu, & pedum inceſſu repletę fuerint, ſecant̃. In lienoſis in leua manu ea præcipue quæ inter minimum digitum & proximum ſita eſt. In iocinorarijs eadem, ſed in dextra: extremorum enim euacuatio ſicut ex longinquiori fit, ita efficaciorẽ auerſionem facit. At in pede tam in coxendicibus, quàm in uuluæ affectionibus, ex ea quæ ſupra interiorẽ malleolum eſt, ſanguinem mitti conuenit.

De cucurbitularum admotione. *Cap.* XL

NEq; in morborũ initijs, neq; in plenis corporibus, quæ plethorica dicunt, cucur-

bitulis

bitulis utendum eſt:ſed cum prius expurgatum eſt totum corpus,neq; amplius quicquam influit,& in membro aliquo mouere quippiam,& ad exteriorem partē trahere neceſſe eſt. Leuis igitur ac ſimplex cucurbitula inflationes ſoluit, ſtomachi fluxiones ſedat, ſanguinem attrahit,eadem fluentem ſiſtit, ſi aduerſæ parti imponatur: id quod in imo eſt ad ſummū traducit.Demum humorum attractionem, ſpirituum extractionem efficit. Quæ uero cum ſcarificatione admouetur,efficaciorem morborum cauſis diflationem præbet,ita ut (quod ſenſu quoq; percipitur) ab imis partibus moleſtantes materiæ auocentur.Neq; enim tam ſanguinē quàm alios quoq; humores educit:præſertim ſi maiori cum flamma adhibeatur. Si à carnoſis membris ſanguis eſt detrahendus, cōciſa prius cute cucurbitulā imponemus:ſi à gracilioribus,carneq; uacantibus,ſimplicem cucurbitulā agglutinabimus:deinde,ubi intumuerit ea in parte membrū,inciſionem adhibebimus,eandēq; rurſus imponemus:ac ſi parū erit detrahendū, una:ſi amplius, pluribus inciſionibus utemur. Siq; tenuior ſanguis fuerit, leuiter in ſummo: ſi craſſior,altius ſcalpellum adigemus:uerbi gratia, ubi cōcretus ex percuſſione ſanguis erit euacuādus.Inciſionis uero altitudinē ipſa cutis craſſitudo nobis pręfiniet. Nōnulli ut uno ictu tres inciſiones iniĳcerent, tribus pariter iunctis ſcalpellis inſtrumentū excogitarunt:nos inutile hoc exiſtimantes ſimplex ſcalpellum adhibemus. Aliĳ ſunt qui uitreis cucurbitulis utūtur, propterea quod per eas ſanguinis, qui exinanitur quantitas tranſpici,dum attrahitur,poteſt:ſed ad attrahendū æneæ ſunt longe efficaciores, quippe cum hæ maiorem ſuſtinere flammam ualeant, uitreæ facile frangantur. Verūetiam illi qui cornibus corpori admotis, ea parte qua exiguum foramen eſt,ſpiritum ore adducunt,& minus extrahūt,& nihil exiccant:quemadmodum quæ cum flamma, cum opus eſt, admouentur. Iam uero in applicandis cucurbitulis illud agere debemus, ut prius erectam partem corporis conſtituamus, deinde ei à latere cucurbitulam agglutinemus.Nam ſi iacentibus membris deſuper ardens linamentum coniĳciamus,ſupra cutem id delapſum aduret,moleſtiamq; nulla exigente neceſſitate inferet. Sciendum autem cucurbitulæ interdum magnitudinem ad ſubiectum membrum accōmodari. Vnde efficitur,ut multæ ac uariæ ſint,& paruitate & magnitudine differētes.Quemadmodum etiam longiore collo aliquas & latiore uentre præditas ad attrahendū aliĳs aptiores facimus. Cauendum uero ſummopere eſt ne iuxta māmas cucurbitulæ admoueantur:in ipſas enim cum inciderint interdum, atque intumuerint mammæ,efficiunt,ut auelli inde ægerrime poſſint. Quo in caſu ſpongĳs ex aqua calida cōprehendi debent:ita enim ſolent remittere. Sed ſi neq; ſic proficitur, ad perforationem ipſarū eſt deueniendum.

De aduſtione alæ. *Cap.* XLII

IN humeri luxati coaptatione in quibuſdam contingit, ut brachĳ caput ſiue ob redundantem humiditatē,ſiue eo quod aſſiduo prolapſu locus ita aſſueuerit, ſæpe & frequenter excidat. Qua in re aduſtio eſt adhibenda. Supino igitur uel in ſanum latus ægro reclinato interiorē alæ cutem, quo maxime articulus excidit, uel ſiniſtræ manus digitis, uel hamis eleuatū tenuibus atq; oblongis ferramentis candentibus adurimus: ita ut cauteriū in alteram partem penetrans, duas una impreſſione ulcerationes inducat. Siq; magnum inter has duas inuſtiones fuerit interuallum, ſpecillo per utraq; foramina traiecto aliam in medio inuſtionem adhibebimus, eouſq; quoad ferramētum ſpecillum attingat. Tametſi duas alias adhibendas cenſet Hippocrates ab utraq; parte eius quæ eſt in medio alteram:ſic ut à duabus illis æquis interuallis diſtantes figuram quadratam cōſtituant.Non altius tamen,quàm ad cutem adurendum eſt: propterea quod nerui & glandulę,quas adenas uocant,& alia ſubſunt,quæ non mediocrem inflammationem, difficultatemq; afferunt. Poſt hæc porri cum ſale triti impoſitione, & reliqua ſicut in cæteris uſtis curatione utendū:cauendumq; inde eſt,ne manus & brachium nimia agitatione exerceatur.

De digitis agnatis & ſedigitis. Cap. XLIII

AGnaſcuntur digiti in manu interdum prope magnos digitos, interdū prope paruos: iuxta alios raro uiſum eſt. Horum igitur alij ſunt carnei ex toto, alij oſſa & quandoque ungues etiam habent. Qui oſſa habent, alij ab articulo communi cum altero digito iunctura innixi, alij ab internodio exoriūtur. Atque ij qui ab internodio emergunt, motu prorſus carent: reliqui aliquando mouentur. Carneos quidem præcidere facilimum eſt: nam totum quod ſuperuacaneum eſt ſemel ſcalpello abſcindimus: qui ab articulo oriuntur, difficilimum. Qui uero ab internodio prodeunt hoc modo curamus: prius carnem undique uſque ad os excidimus, deinde os ipſum uel ſcalpro cōminuimus, uel ſerra abſcindimus: tum radendo & conglutinando, quemadmodū de oſſium uulneribus dictum eſt, reliquam curationem adhibebimus.

De aduſtione ſuppurationis in tabe. Cap. XLIIII

ADuſtio ſuppuratis efficaciſſimum auxilium inuentum eſt, quam ita adhibemus: Radicem longæ Ariſtolochiæ oleo imbutam accipimus, deinde ſupra ipſam ferro candenti exulceramus uarijs in locis: uno inter iugulorum coniunctionem retracta ſuperius cute, duobus iuxta mentum ſeorſum à ſoporarijs arterijs, ſed minus alte: ſub mammis item inter tertiam & quartam coſtam duobus, ferro latius impreſſo: inter quintam quoque & quartam paululum uerſus dorſum duobus: uno item in medio pectore, altero ſupra uentriculi os: à tergo uero tribus aduſtionibus utimur, una in medio dorſo, hincinde à ſpina, ſed ſuperiori loco duabus altius impreſſis. Alij uero, ut inquit etiam Leonides, ferramento tenui ad nuclei oleæ figuram candenti inter coſtas ea in parte, qua abſceſſum eſſe fuerit notatum, uſque ad pus adurunt. Sunt qui ſcalpellum quoque adhibere audeant: inter quintam & ſextam coſtam tranſuerſa linea paululum tamen obliqua cutem incidūt: deinde aculeato cultello coſtas ſubcingente membrana perforata pus excernunt. Verum & iſti, & qui uſque ad pus adurunt, uel protinus mortem inferūt, cum unà cum pure uitalis etiam ſpiritus uniuerſus exinaniatur, uel fiſtulas inſanabiles inducunt.

De cancro. Cap. XLV

CAncer eſt tumor inæqualis, aſper, fœdus, ſubliuidus, dolore infeſtans: abſque ulcere interdum, quem etiam latentem appellauit Hippocrates, qui ſcilicet curatione potius irritatur: interdum cum ulcere proueniens. Ex atra enim bile cum ſit, ut plurimum depaſcēdo ſerpit, in pluribusque alijs corporis partibus, maxime uero circa uuluas & mammas in mulieribus exoritur, habetque undequaque uenas intentas, atque inflatas, perinde atque animal cancer pedes, unde nomen eſt adeptus. Quoniam igitur de curatione eius quæ medicamentis adhibetur in quarto, & de eo qui circa uuluam naſcitur, in tertio ſatis dictū eſt: qui autem intus in uulua latet, manus & ſcalpelli operam ſuſcipere non poteſt, neque ſi poſſet, aliquod in eo præſidium inueniret. Eorum nunc qui extrinſecus & præcipue circa mammas oriūtur, curationē tradēmus. Nonnulli totam uitiatam partem cauterijs abſumunt: alij totam mammam excidunt, deinde aduſtione utūtur. Galenus uero exciſionis tantum chirurgiam admittit, in hunc modum ſcribens: Si tamen cancro mederi ſcalpello auſus fueris, primum ipſius expurgationem ab atræ bilis humore auſpiceris: deinde tota prorſus affecta parte ſic ut nulla relinquatur radix, diligenter circunciſa, effluere ſanguinem permittas: neque prius ſiſtas, quàm uenis quæ circùm ſunt, accurate compreſſis craſſiorem omnem ſanguinis partem expreſſeris. Tum eadem qua in alijs ulceribus curatione utaris. Hæc Galenus. Reliqua uero maligna, putreſcentiaque ulcera, puta phagedenæ, & gangrenæ, & ſimilia, eadem ratione curanda ſunt.

De ijs quibus mulierum in morem mammæ turgeſcunt. Cap. XLVI

MAribus ſanè perinde ac fœminis ſub pubertatis tempus mammæ aliquatenus turgeſcunt:

turgeſcunt: ſed pleriſq; iterum reprimũtur ac ſubſidunt: nonnullis uero, ut ſemel orſæ ſunt, pingui quodam ſubaleſcente procedere non deſinunt. Quæ res cum effœminatæ naturæ dedecus afferat, ſcalpelli curationem nõ immeritò admittit. Lunari igitur figura infra mammam inciſione facta, cuteq; à carne diducta adipem detrahimus: plagæ deinde oras ſuturis committimus. Si fortè ob uaſtitatem ſicut in fœminis in inferiorem partem inclinauerit mamma, duabus lunatis lineis in eadem inferiore parte ſecandum eſt, ſic ut capitibus inter ſe coniunctis minor à maiore comprehendatur: cuteq; quæ inter duas inciſiones eſt excoriata, exemptaq; pinguedine quæ ſuberat, ſuturis ſimili modo eſt utendum. Quod ſi aberrauerimus, minusq; quàm debeat exciſum fuerit, tenui habenula, quæ ſupereſt rurſus detracta, ſuendũ: medicamentumq; ut recentibus uulneribus imponendum.

De iocinoris aduſtione. Cap. XLVII

SI eos qui in iocinore abſceſſum habent, dolor cum grauitate quadam infeſtat, carnoſum ipſius uiſceris corpus affectum eſſe indicat. Si dolor acutus eſt, in tunica magis uitiũ eſſe oſtendit. Sicq; aduſtio eſt facienda: Cauterijs oliuaribus ſupra inguen ad finem iocinoris aduſtionẽ inijcimus, totaq; exuſta cute uſq; ad tunicam penetramus, pusq; inde extrahimus. Poſt exinanitionẽ lenticula & melle, & medicamentis ex mulſa aqua, & replentibus, poſtea etiam cicatricem inducentibus utendum eſt.

De aduſtione lienis. Cap. XLVIII

LIeni ſuperiectam cutem hamis ſubleuamus, deinde longo ferro candenti penitus traijcimus, ut una impreſſione duæ aduſtiones fiant: hoc ter facimus, ut omnes poſtea ſex euadant. Quanquã Marcellus fuſcinula, ſeu fuſcinali ferramento uſus, tres ſolebat una traiectione aduſtiones inducere.

De ſtomachi aduſtione. Cap. XLIX

IN ſtomachi diuturnis fluxionibus recentiores aduſtiones adhibere conſueuerunt: alij oliuaribus ferramentis tribus locis exulcerant, uno iuxta gladialem cartilaginẽ, alijs duobus inferius ita conſtitutis, ut triangulam figuram efficiant, ſolius cutis altitudine: alij ſola una ad uentriculi orificium, ſed latiore aduſtione contenti ſunt. Nonnulli uero ſunt, qui ne ferrum quidem adhibent, ſed ijs quę uocantur iſcæ adurũt. Sunt autem iſcæ ſpongioſæ quædam pilulæ, quæ in quercubus & nucibus naſcuntur, plurimo in uſu apud barbaros. Poſt aduſtionem aliquandiu apertum hulcus relinquunt, imò etiam refricant, ut multa per ipſum diflatione effecta os ſtomachi à fluxione illæſum permaneat.

De aqua inter cutem. Cap. L

HYdropicorũ habitus quis ſit, quotq; eius differentiæ, quæ cauſæ, quo modo item dignoſci, & curari per medicamenta tales morbi ualeant, in tertio libro tradidimus, oſtendimusq; ibi etiam ſolũ aſcitem manuũ operã admittere. Nunc quemadmodum id fiat, dicendũ eſt. Recto cõſtituto homine, ſin minus in ſedili collocato: nam qui neq; hoc tolerare ob imbecillitatẽ poteſt, huic curatiõi minime eſſe idoneus iudicãdus eſt: recto igitur ſtante homine, à tergo ſtantibus miniſtris iubebimus manibus uentrẽ cõprimere, ac deorſum tumorẽ ad imũ abdomen depellere. Nos uero aculeato cultello, ſeu phlebotomo ſumpto, ſi malum hoc ab inteſtinis ortũ habuerit, ſub umbilico ad perpendiculũ ferè quatuor interpoſitis digitis, ſi alteri morbo ſupuenerit à ſiniſtra parte, ſi à ſplene inceperit, à dextro latere abdominis cutẽ uſq; ad membranã incidemus: cauendũ enim ne ea in parte incidamus, qua ſunt cubaturi: deinde inſtrumẽti acie cute à mẽbrana diducta paulò ſuperius ꝙ prima plaga iniecta ſit, mẽbranã ipſam perforabimus, quoad inani loco ferramentũ excipiat. Poſt hęc ænea fiſtula quæ ad ſcriptorij calami ſimilitudinẽ præſecta ſit, in mẽbranæ & abdominis foramẽ cõijcienda eſt: perq;

ipſam effundendus humor pro uiriũ ratione: quæ ex obſeruatione pulſus conſtabũt. Quod ubi iam factum fuerit, recipienda fiſtula eſt, atq; ita effuſio ſiſtenda: illa enim alternata inciſione id efficitur, ut ablata fiſtula fluxus cõtinuò ſiſtat. Nos tamen, quo ſecurior res ſit, linamentum etiam intortum in abdominis tantum uulnus cõijcimus: in lecto deinde reclinato homine, ac refocillato, poſtero die rurſus humoris paululũ pro uiribus per fiſtulam emittemus: atq; ita in ſequẽtibus diebus faciemus, donec quamminimũ relinquatur: ſumma cura habita ne uniuerſum ſimul affundamus: multi enim imperite admodũ hoc tractantes, unà cum humore uniuerſo etiã uitali ſpiritu euacuato hominem ſubitò interemerunt. Qui uero ſecuritati magis cõſulunt, ita ſolent ſe gerere: tantum chirurgia hac educunt, quantũ ægri uires ſubleuare poſſe uideatur. Reliquum uero aquam deducentibus medicamentis, harena, ſole, ſiti, atq; exiccantibus alimentis conſumũt: aduſtiones etiam in ſtomacho, iocinore, liene, abdomine, umbilico tenuibus ferramentis nonnulli, alij iſcis, uel aliqua alia huiuſcemodi materia adhibent: multiq; ſunt qui hac uia potius nullam prorſus paſſi perforationem conſanuerunt.

De umbilicis prominentibus. Cap. LI

VMbilici prominentis uitium diuerſis ex cauſis fit: interdum rupta in ea parte abdominis membrana, eoq; uel omento, uel inteſtino prolapſo: humore interdũ hebete ſub umbilico collecto: carne quoq; increſcente: quandoq; ſanguine ex uena, uel arteria rupta, ut in dilatationibus: quandoq; ſpiritu tantũ eò profuſo. Si omentum irrupit concolor tumor eſt, mollis, dolore uacans, atq; inæqualis: ſi inteſtinũ, cætera ſimilia ſunt, tumor inæqualior eſt: ad digitorũ cõpreſſionem euaneſcit, crepat interdũ, balneiſq; & diſtentionibus creſcit. Si humor ſubeſt, mollis ſimiliter eſt tumor: preſſus uero nõ cedit, neq; minuit, neq; augetur. At carnis ſubcreſcentia præter reliqua indicia liuidiorem etiam locũ, & duriorẽ reddit, quiq; ſemper in eadem magnitudine conſpiciatur. Spiritus mollem tumorẽ exhibet, qui impulſus ſonitũ reddit, ac preſſus euaneſcit. Curatio in hunc modum tractanda eſt: Recto cõſtituto homini, ſpiritu retento uentrem diſtendere iubebimus, deinde tota umbilici excreſcẽtia ſcriptorio atramento circũcirca notata eundem reſupinabimus, ac ſcalpello undiq; qua nota atramẽti fuerit ſcarificabimus: tum media parte hamis attracta, lino uel neruo ad ſcarificationem iniecto uinciemus, ita enim fortius continebit, neque elabi poterit, ſinu, non nodo nexum aſtringentes: tum tumore, qui aſtrictus erit, in ſummitate inciſo atq; aperto indicẽ demittemus: diligenteſq; ſcrutabimur, nũquid inteſtini aliqua inuolutio, aut omenti particula ſimul uincta ſit. Si inteſtinũ comprehenſum erit, laxato laquei ſinu intrò depellemus: ſi omentũ, attrahemus: atq; eius ſuperuacaneam partem, deligata prius, quæcũq; occurrerit, uena, excidemus. Poſt hæc duas acus ſimplex linum ducentes per ſcarificationem illam traijciemus: linorumq; finibus præciſis, ſicut in dilatatione dictũ eſt, quatuor capitibus diuerſas partes aſtringemus. Atq; ubi quod ſupra uincula eſt emortuũ fuerit, atq; exciderit, linamentis curabimus, dabimuſq; operam, ut cicatrix depreſſior ſubinde inducat. Atq; ita fit, ſi uel omentũ, uel inteſtinũ morbũ cauſarit: ſi uero aut caro, aut humor, aut ſanguis ſit, media tumoris parte circũcirca exciſa, quicquid intus fuerit detrahemus, deinde ulcus replẽtibus nutriemus. Iis uero qui ex dilatatione aut ſpiritus effuſione cõſtiterint, perinde atq; dilatationibus adhibere medicinã recuſabimus.

De uulneribus in abdominis membrana, & prolapſu inteſtini, uel omenti, ubi etiam modus uentris conſuendi ex Galeno traditur. Cap. LII

QVemadmodum uulnerata abdominis membrana optime tractari poſſit cõſiderandum. Si paruũ adeò ſit uulnus, ut prolapſum inteſtinũ, quod inflatũ eſt, nullo modo reprimi amplius poſſit, uel inflationẽ exinanire, uel ampliare uulnus neceſſe eſt. Primum ſanè, ſi modo aſſequi poſſumus, melius eſt: uerum qua potius ratione aſſequi poſſemus, quàm ſi cauſam qua inflatur inteſtinũ amoueamus? Quę igitur eſt hęc? ambientis aëris frigus: unde calefaciendo remedium adhibebitur. Molli igitur ſpongia

ex aqua calida expreſſa fouendum erit inteſtinum, præparatumq́ ad hoc eſſe debebit uinum auſterum calidum: quod ſicut magis quàm aqua excalfacit, ita uires etiam inteſtinis addit. Quod ſi his adhibitis, nihilominus perſeueret inflatio, incidenda erit membrana, donec ſatis ad prolapſum inteſtinum patêre poſſit. Ad quam inciſionem faciendam recta fiſtulamina quæ appellantur, ſunt accõmodata. Optimũ etiam eſt ut æger, ſi inferioribus in partibus uulnus ſit, ex aduerſo propẽdeat: ſi in dextra uidelicet eſt læſio, in ſiniſtram: ſi in ſiniſtra, in dextram inclinet: quod porrò tam magnis, quàm paruis uulneribus cõmune eſt. Inteſtinorum uero in propriam ſedem repoſitiones in magnis uulneribus miniſtrum peritum admodum requirũt: debet enim is oras uulneris manibus apprehenſas ab exteriore parte intrò conuertere & aſtringere, ſuentique ipſas paulatim explicare: quodq́ ſutura iunctum fuerit mediocriter deprimere, donec conſutio omnis abſoluta ſit. Iam uero quis modus cõſuendi uentris idoneus ſit dicendum eſt. Quoniam abdomen membranę agglutinandum eſt, à cute principio facto acus ab exteriore parte in interiorem immittẽda: quæ ubi cutem & rectum muſculum totum traiecerit, prætermiſſa adiacente mẽbranæ ora, altera ab interiori parte ad exteriorem perforanda eſt: deinde appoſita abdominis ora eodem modo traiecta, eademq́ rurſus deforis introrſum transfixa, prætermiſſaq́ ſimiliter membrana ſubiacente, ad oppoſitam ueniendũ: eaq́ intus extrorſum unà cum ſuperiecta abdominis ora tranſuenda eſt: atq́ ita tertio, & quarto, deincepsq́ faciendũ, donec totum uulnus includatur. Sutura ſanè, quo plagam conſtringat, perquam crebra eſſe debet: quo uero cutis integra permaneat, non admodum crebra: quocirca euitatis utriſq́ extremis mediocritas ſeruanda eſt. Idem in acia faciendum, nam quæ nimis dura eſt cutem abrumpit, quæ nimis mollis rumpitur. Quemadmodũ etiam ſi extremis orarum finibus acus inijcitur, cutis quæ tenuiſſima relicta eſt, laborat, ac uim paſſa plerunq́ laceratur: ſi autem nimis multum ſutura cõprehenditur, inconglutinatum permanet. Atq́ hęc quidem omnia licet plagis omnibus cõmunia ſint, maxime tamen in cõſuendo uentre obſeruari debent. Vel igitur ea, qua ſuperius diximus, ratione agendũ nobis erit, attendentibus ut membrana cum abdomine coaleſcat, id quod quia neruoſa eſt difficulter patitur: uel ſicut alij, ea quæ natura cognata ſunt, membranam membranæ, abdomen abdomini inter ſeſe cõmittemus. Quod hic ſubiungã. Simili modo abdomen ſolum ab exteriore parte in interiorẽ acu eſt traijciendũ: deinde utriſq́ membranæ oris tranſmiſſis rurſus acus cõuertenda, perq́ utraſq́ has oras ab exteriore ſimiliter parte introrſum cõijcienda: poſtea ab interiore parte per alterã abdominis oram educẽda eſt. Hic modus à cõmuni illo & expedito, quo quatuor oras ſimul una acus traiectione cõiungunt, in eo differt, quod bene admodũ ſub abdomine membranam occultat: medicamenta, quæ eiuſdem ſunt materiæ cum ijs, quæ cruentis uulneribus imponũtur, accommodata poſtea erunt. Ne uero aliquod principale membrũ mutua contagione afficiatur, totam eam partẽ quæ inter inguina & alas eſt oleo moderate calido lana molli excepto fouere oportet, meliusq́ eſt ſi idem oleũ clyſtere in inteſtina immittatur: nam ſi aliqua inteſtinorum pars uulnus ſenſit, uinum nigrum auſterũ tepefactum inijciendũ eſt: atq́ etiam magis, ſi totũ inteſtinũ aliquod uulneratũ eſt. Craſſa quidem inteſtina facilius, tenuia difficilius ſanantur: at ieiunũ, cum copiam & magnitudinem uaſorũ contineat, tenuemq́ ac neruoſam tunicam habeat, tum bilem ſynceram totam excipiat, ſitq́ ex omnibus iocinori proximũ, nullam curationẽ admittit. Eorũ uero quę infra uentrẽ carnoſiora ſunt, medicina eſt tentanda: interdũ enim proficit, nõ ſolũ quia craſſiora ſunt, uerũ etiam quia locus inſidere medicamẽta cõmodius patitur. Quæ enim in ora ipſius uentris & ſtomachi ſita ſunt, preterq̃ quod in ſolo tranſitu medicamẽta attingũt, etiam nimio ſenſu quo prædita ſunt curationibus aduerſant̃. At uero cum membrana abdominis rupta omentũ prolapſum eſt, cõſiderari debet, an pars aliqua eius liuida, aut nigra ſit: idq́ totũ, prius ſupra emortuam partẽ laqueo iniecto, ne ſanguinis profuſione periclitet̃, infra uinculum excidendũ eſt, tum in infimo conſutionis fine uinculi capita ſunt inſerenda, ſic ut dependeãt, quo facilius cum pure orto reijcientur, eximi poſſint.

De recutitis. Cap. LIII

IN recutitis, hoc eſt ijs quibus præputij cuti aliquid deeſt, decoris cauſa duplicē nonnulli curationis modum excogitarūt: interdū iuxta pubem in orbem colis tergus incidunt, ut ſoluta cōtinuitate deorſum trahi atq; extendi poſſit, quoad glandem ipſam operiat: interdum ſub ipſius glandis circulo cutem ſcalpello ab interiore cole ſubſecando diducunt, eamq; ultra glandem extendūt: deinde molli aliquo linteolo circumcirca preputiū deligant, quadam utiq; interpoſita parte inter tergus & colem, qua diductio facta eſt, ne glandi agglutinetur. Hunc modū Antyllus magis approbat, latiusq; explicat. Nos ſummatim tantum idcirco retulimus, quia raro tale medicinæ opus exigi conſueuit: nam neq; functioni difficultatem aliquam affert hoc uitium, neque indecorum adeò eſt, ut cruciatum, qui manuum opera exhibetur, experiri quiſpiam malit.

De hypoſpadiæis, urinarium meatum ſubuulſum habentibus. Cap. LIIII

MVltis à natali die glans minime perforata eſt: ſed ſub eo, qui uocatur canis, ad finem glandis foramen habent. Hi neq; mingere in anteriorē partem niſi membrū ad abdomen admodū reflexerint: neq; filios procreare poſſunt, cum ſemen in uuluam recta eiaculatione nequeat emitti. Accedit quod non mediocre dedecus hoc uitium affert. Medēdi his ſicut ſimpliciſſimus, ita tutiſſimus omniū modus eſt per amputationem. Reſupinato igitur homine glans ſiniſtræ manus digitis prehendenda, uehementerq; attrahenda eſt, tum ſcalpelli acie iuxta coronam ſeu circulū amputada: neq; id obliqua ſectione, ſed concaua ac rotunda, ut in medio quædā glandi ſimilis eminentia relinquatur. Quoniā uero ſępe ſanguinis profuſio ſequitur, ſanguinem ſiſtentibus poſtea utemur: ſi minus hoc proderit, tenuibus ferramentis aduremus.

De phimoſi præputij conſtrictione circa glandem. Cap. LV

DVplex conſtrictionis ſeu phimoſis cauſa eſſe ſolet: quandoq; enim præputium glandem operiens retrahi rurſus non poteſt, quandoq; retractum non amplius inducitur: quæ proprie periphimoſis ſeu circūſtrictio appellatur. Prima ſpecies uel ex cicatrice in pręputio facta, uel ex carnis ſubcreſcentia: ſecunda ex colis inflammatione oritur, cum retracta pellicula glans ita inflatur, ut nō amplius pręputiū admittat. Conſtrictio ad hunc modum curatur: In accōmodata figura homine collocato, præputium in anteriorē partem attractū, tribus aut quatuor iniectis hamis miniſtris quatenus fieri poteſt diſtendendū atq; aperiendum tradimus: deinde ſi ex cicatrice extrinſecus contracta cutis fuerit, ab interiore parte tribus aut quatuor locis phlebotomo, aut aculeato cultello incidimus, ſic ut lineæ in longitudinē æquali inter ſe ſpacio diſtantes efficiantur. Nam cum duplex ſit circa glandem pręputiū, os eius ex interiori parte diuidendū eſt: reſoluta enim hoc modo retractione quæ ex cicatrice concreuerat, facile inducere poſtea præputiū poſſumus. Si uero intrinſecus carnis excreſcentia cōſtrictionem eam fecerit, in carne ſcarificatiōes omnes inijciemus retracto tergore: deinde carnis quę inter inciſiones extabūt eminentias deradēmus, tum plumbeum tubulum ęquali utrinque patens foramine exiccata papyro inuolutum circum glandem inſertabimus. Sic enim fiet, ut inducta rurſus pellis glandi inhærere prohibeatur, ſeparata tum à plumbo, tum ab inuoluta papyro, quę ex madefactione inflata eam à cole etiam magis ſubleuat. Atque ad hunc quidem modum ſiue ex cicatrice, ſiue ex carnis excreſcentia phimoſis extiterit, curare cōſueuimus. Si uero circūſtrictione aliquis laboret, quæ iam inueterauerit, atque ob id coaluerit, ſanari is amplius nō poteſt, niſi perinde ac recutitus curari uoluerit. Si nondum coaluerit pellis, in longitudinem tribus lineis aut quatuor, aut etiam pluribus circumcirca ſcarificāda: deinde multo oleo tepido fouenda, ſicq; in ulteriorem partem protrahenda eſt.

De cohærente præputio. Cap. LVI

EXulceratione uel glandis, uel præputij fit interdū, ut partes hæ duæ cohæreſcant.

Quod ſi accidit, oportet aduerſo ſcalpello, uel ferramento ad excidendũ polypum in modũ ſpathæ facto ſubſecare ſumma cum moderatione, ut glans ab agglutinato præputio ſine læſione ſeparetur. Quod ſi difficile eſt, à glande potius aliquid quàm à præputio trahendum eſt: tenue enim cum ſit præputiũ facile perforatur. Poſt abſolutionem linteolũ tenue aqua frigida madefactũ inter glandem & præputiũ, ne rurſus coëant, inſerendum eſt: deinde aſtringente uino cicatrix inducenda.

De circumcidendis. Cap. LVII

NOn de ijs qui gentili quadam religione circũciduntur, ſermo nobis in præſentia eſt: ſed de illis, quibus ex affectione quadam circa pudenda præputiũ nigreſcit. His ſane quicquid nigrũ fuerit, in orbem excidendum eſt: tum ſquamma æris ex melle, uel etiam malicorium, & eruum inſtar linamenti ſuper dandũ. Si ſanguis profluat lunatis cauterijs utendum eſt: quæ tamen ut ſanguinis profuſio reprimatur, quàm ne ulcus paſcendo ſerpat, commodiſſima ſunt. Quod ſi fortè glans tota cõſumpta fuerit, plumbeã fiſtulã in urinariũ meatũ cõijciemus, ac per eam urinam reddere iubebimus.

De thymis tuberculis in cole. Cap. LVIII

THymi carnoſæ quædam quaſi uerruculæ ſunt, interdum in glande, interdum in præputio orientes: quorũ maligni alij ſunt, alij non ita. Benigni quidem ſcalpelli acie exciduntur: deinde chalcitis ſuper inſpergitur. At in malignis poſt exciſionẽ uſtio neceſſaria eſt. Quod ſi oppoſiti in tergore ipſo concreuerint, alij in interiore parte, alij in exteriore, non debemus manum ſimul omnibus admouere, ne fortè pellicula cum tenuis admodum ſit, imprudenter à nobis perfodiatur: ſed prius interiores excidere, atq; ad cicatricem perducere, deinde ad exteriores uenire tutiſſimum eſt. Nonnulli uero ex recentioribus forfice eos ſolent præcidere, tum ſeta equina aſtrictos curant: alij frigido cauterio adurunt.

De fiſtulæ demiſſione, & ueſicæ collutione. Cap. LIX

CVm urina in ueſica ſupprimitur, quia uel calculus, uel concretum aliquid ex ſanguine, uel aliud quidpiam eam obſtruit, ad excrementũ excipiendum fiſtulæ demiſſione uti conſueuimus: quæ ita fit. Sumimus fiſtulas omni ætati & generi accõmodatas, eaſq; ad hoc præparamus. Præparationis modus is eſt: Parũ lanæ filo in medio uincimus: deinde filo ipſo tenui iunco per fiſtulæ foramen traiecto, lanam ori extremo fiſtulæ inſerimus, ſic ut ſi quid foris emineat, forfice detondeat̃, fiſtulamq; in oleũ cõijcimus. Homine poſtea ſuper ſubſelliũ apte figurato, ac prius, niſi quid impediat, fomentis aſperſo, fiſtulam rectã uſq; ad colis finem demittimus: deinde reflexo ad umbilicũ pene, ex hac enim parte eſt obliquus ueſicæ meatus, ulterius promouemus. Atq; ubi ad interfœmineũ iuxta anum deuenerit, reflexo iterum in naturalem figuram membro unà cum iniecto inſtrumento, quoniam ab interfœmineo ueſicæ meatus ſurſum uergit, fiſtulam propellimus, quoad inani ueſicæ ſpacio excipiat̃. Poſt hæc filum quod in fiſtula eſt adducimus, ut unà cum lana urina etiã attracta, poſtea ſequatur: perinde atq; in ſiphonibus fieri cõſueuit. Atq; hic demittendæ fiſtulæ modus eſt. Sed quia ſæpe incidit, ut exulceratã ueſicã colluere neceſſe ſit, ad hoc auricularijs clyſteribus ſupradicto modo immiſſis utemur, ſi modo ijs compelli in ueſicã infuſio poterit: ſin minus, uel aluta, uel ueſica bubula fiſtulæ erit adaptanda, perq; eam infuſione facta colluendum.

De calculis. Cap. LX

CVm alibi de calculorum generatione dixerim, eoſq; pueris in ueſica, prouectioribus in renibus oriri demonſtrarim, locus exigere uidetur, ut eorũ excidendorum modum ſubijciamus. Quod faciemus, ubi prius notas expoſuerimus, quibus calculum eſſe in ueſica cognoſci poteſt. Cum mingũt, aquoſa excrementa exeũt, quæ arenoſum ſedimentum habent; aſſiduo penis pruritu moleſtantur: unde etiam is ſine ra-

tione modo relaxatur, modo intenditur: quia ſcilicet irritati, præſertim pueri illum ſolent frequenter contrectare. Repente etiam urinæ ſuppreſſio fit, cum in ceruicem ueſicæ calculus fortè incidit. Ad calculi exciſionem idonei ſunt pueri uſq; ad quartumdecimum annum: hi enim ob corporis mollitudinem facilius ſeneſcunt. Contra ſenes inepti, in quorum corpore ulcera nūquam ferè poſſunt ad ſanitatem perduci. Aetas media uero medio modo inter hæc ſe habet. Qui item maiores habent calculos facilius eatenus curantur, qua inflammationibus tolerandis aſſueti ſunt: qui autem paruis calculis laborant: difficilius, contrarias ob cauſas. His ita ſe habentibus, cum ad ſcalpelli operam ueniemus, prius curabimus, ut diſcuſſio ſiue per miniſtrum, ſiue ab ipſo ægro efficiatur, ab alto aliquo loco deſiliente, quo calculus ad ceruicem ueſicæ decutiatur. Deinde collocato homine ea figura qua ſedere rectus aliquis ſolet, manibusq; ſuis ſub femora datis, ut in anguſtū ueſica cōpellatur, locū pertractabimus. Sicq; attrectantibus nobis ſub digitis occurrerit calculus in interfemineo, hoc eſt eo in ſpacio quod inter femina eſt à teſtibus ad anum, illuc à concuſſione deiectus, cōtinuò ad ſectionem accingemur. Si illic non ſentiatur, ſiniſtræ manus digitum, ſi puer eſt, indicem, ſi magis adultus, medium in anum demittemus oleo prius inunctum, reſupinisq; digitis ipſum perquiremus: ubi repertus fuerit, paulatim ad ceruicem ueſicæ deducendus, ibiq; concluſus ac conſtrictus in exteriorem partem propellendus eſt. Poſtea iubendū eſt duobus miniſtris, alter ut manibus ueſicam comprimat, alter dextera teſtes ſurſum trahat, læua interfemineū extendat in alteram partem ab ea qua ſectio eſt inijcienda. His factis, ad excidendos calculos ferramento, quod lithotomum appellant, inter anum & teſtes, necq; tamen in medio, ſed uerſus ſiniſteriorem natem obliqua linea cōtra ipſum calculum interfemineū incidendum eſt: ita, ut plaga extrinſecus latior ſit, intus nō amplius pateat, quàm per eam cōmode eijci calculus poſſit. Interdum enim fit, ut ex digitorum, uel digiti in ano cōpreſſione, ſtatim ubi inciſum eſt, ſine ullius inſtrumenti iniectione apte admodum calculus exiliat. Quod ſi nō euenit, unco eius rei cauſa factus quem lithulcū ab extrahendis calculis uocant, iniecto eximendus eſt. Poſt cuius euulſionem ſanguinem reprimentibus aridis medicamentis quæ ex manna, thure, aloë, ſolidagine, uel etiam myſi, alijsq; ſimilibus conſtant, ſanguinis eruptio ſiſtenda eſt: tum lana uel linteolum uino cui oleum admixtum ſit, madens ſuper ulcus imponendum: atque ita calcularijs, id eſt ſexicrurijs deligationibus utendū eſt. Si metus ſanguinis profuſionis ſit, linteolum duplex ex poſca, uel roſaceo, cui aquam quis adiecerit, ſuper dabimus: quod reclinato ægroto ſubinde madefaciendum eſt. Tertio poſt die ſoluentes, aqua oleo mixta copioſe inungemus: deinde tetrapharmacū linamentis exceptū adhibebimus, frequenter ob urinæ acrimoniam ſoluentes ac curantes. Quod ſi aliqua inflammatio ſuperuenerit, cataplaſmatis & fotionibus ad hoc accommodatis utemur: roſaceumq; etiamnum oleum, uel chamæmelinum, uel butyrum in ueſicam, niſi aliqua inflammatio obſtet, inijciemus. Similiter ſi uel ſerpens, uel aliquo alio modo malignū ulcus efficiatur, his cōuenientia medicamenta accommodabimus. Si nulla adſit inflammatio, ablutione adhibita emplaſtrum ex ſuccis (diachylon uocant) ſuper lumbos, & imum abdomen dabimus: illud per totum curationis tempus obſeruantes, ut, quo remedia quieſcere poſſint, femora quoq; deligata teneantur. At uero ſi paruus fuerit lapis, isq; in urinæ iter incidat, neq; mingendo excerni ualeat, ita faciendū: Tergus præputij extremū plurimū attrahendū eſt, ſic ut glandem condat, ibiq; uinciendū: deinde uinciendus etiam eſt iuxta pubem coles ad ueſicæ terminū uinculo iniecto: atq; ab inferiore parte contra ipſum calculū incidendus, tum inflectendus, atq; ita calculus eijciendus eſt: ſolutis poſtea uinculis quicquid ex ſanguine cōcretum eſt à uulnere exprimendū. Vinculū quidem in ima parte iniectū eſt, ne retro calculus redeat. In ſumma, ut poſt calculi exemptionem ſolutione facta inciſum colem remiſſa cutis contegat.

De partibus quæ circa teſtes ſunt. Cap. LXI

QVoniam ad herniarij medici doctrinam, partium quę circa teſtes ſunt, definitio=

nes

nes conferunt, eæ prius à nobis in præſentia ſunt proponendæ. Teſticulus igitur ſubſtantia eſt glanduloſa & fragilis, quę ad ſeminis uim genitalem facit. Aſſiſtentes, qui & ſuſpendicula dicuntur, ſunt nerui à ſpinalis medullæ membrana exorti, qui cum arterioſis uenis ad teſticulos pertingunt, per quas ſemen in penem immittitur. Seminaria uaſa ſunt uenæ, quæ à caua uena in teſtes, quibus etiam alimentũ præſtant, ſinuoſa reflexione ferũtur. Erytroides eſt tunica natura neruoſa, quæ à gibboſa & anteriore parte teſticuli abſoluta à cõcaua & poſteriore ipſi inhæreſcit, ex abdominis membrana ortum habens: partem eam qua teſticulo inhæret, poſteriorem inhærentiam appellant. Dartæ ſunt membranæ exteriorẽ pellem erytroidi tunicæ agglutinantes, ipſiq; ea parte inhęrentes qua ipſa teſtibus à poſteriore parte annexa eſt. Hanc uero exteriorem laxam ac rugoſam pellem teſticulis circũiectam ſcrotum uocant.

De hernia aquoſa. *Cap.* LXII

SEgnis quidam atq; hebes humor in partibus his quæ ſcroto annectuntur, concretus, tumoremq; ſenſui euidentem efficiens hernia aquoſa, hydrocele à Græcis nuncupatur. Cogitur plerunque hic humor circa teſticulum in erytroide ea in parte, qua à teſticulo ſeparata eſt: raro extra erytroidẽ, ſæpe etiam propria tunica cõtinetur. Quod cum fit, chirurgici herniam in ſupergenita tunica appellare conſueuerunt. Si igitur ex præcedente cauſa, uerbi gratia, partium harum infirmitate conſtiterit hoc uitium, ſanguis qui huc alimenti ratione defertur, in aquoſam, uel feroſam ac ſegnem ſubſtãtiam immutatur: ſi ex percuſſione, cruenta uel feculenta materia continetur. Communes notæ hæ ſunt: tumor eſt ſine dolore, qui in ſcroto permanet, nulloq; caſu, quicunque ille fuerit, deliteſcit: ſed preſſus cedit, ſi paucus ſubſit humor: ſi multus, nõ cedit. In erytroide an ſit, cognoſci ex eo poteſt, quod tumor rotundus, paulò tamen oblongior ad oui ſpeciem præfertur, teſtisq; ea parte prorſus occultatur, utpote undequaq; circundatus. Si extra erytroidem ſub membranulis, quæ dartæ appellantur, extiterit, in proximo ſubeſſe ſentitur. Si in ſupergenita fuerit tunica humor, eo quod undique compactus, conglobatusq; eſt tumor, alterius teſticuli ſpeciem exhibet. Si aquoſa ſit materia, cõcolor: ſi feculenta, aut cruenta, ruber aut liuidus per tunicã apparet: nam quibus in utriſq; ſcroti partibus ſigna hæc ſunt, ſcire licet eos bihernios eſſe. Curatio quæ ſcilicet ſcalpellũ deſiderat talis eſt: deraſa pube, & ſcroto, niſi puer ſit, reſupinus homo in ſubſellio collocãdus eſt, multiplici aliquo linteo natibus, ſpongia uero permagna ſcroto ſubiecta: tum ſedere à ſiniſtra parte medicus debet, miniſtroq; à dextra ſedenti iubere, ut pene in alteram partem reflexo, ſcroti pellem ſurſum uerſus abdomen extẽdat. Quo facto ipſe ſumpto ſcalpello ſcrotum à media parte orſus, in longitudinem uſque prope pubem ſecet recta inciſione, quæ à ſcrotum diuidente linea ęqualiter diſtet, atq; ad erytroidem uſq; deſcẽdat. Si in ſupergenita ſit humor, qua parte uertex ſupergenitæ tunicæ ſe oſtenderit, ea in parte ſcalpellum erit inijciendum: facta plaga hamis oræ aperiendæ ſunt, diductiſq; herniario ſpecillo & ſcalpello dartis tunicis denudanda erytroides, phlebotomoq; per mediũ diuidenda eſt, ea præcipue parte qua à teſticulo ſeparatur: atq; ita humore uel ex toto, uel maiori ex parte in uaſculũ aliquod effuſo, hamis erytroides, id eſt tenuiſſima quæq; eius pars extrahenda eſt. Antyllus poſtea ſuturis & curatione ſicut in recentibus uulneribus utitur: recentiores carnem citantia adhibere magis conſueuerunt. At uero ſi teſticulus putredine aut aliquo alio uitio affectus reperiatur, uenis quæ ſuſpendiculo, hoc eſt cremaſteri neruo annexæ ſunt prius deligatis, neruus ipſe eſt præcidẽdus, atq; ita teſticulus eximẽdus eſt. In bihernijs eodẽ modo, ſed dupliciter faciendũ eſt, ab utraq; parte iuxta inguina ſcroto inciſo. His ita cõſtitutis capitulo ſpecilli in imum per inciſionem demiſſo ſcrotum ipſum ſinuamus, ibiq; id ſcalpelli acie paululũ ſubſecamus, quo ſanguini concreto, & puri exitus detur: tum ipſo eodem ſpecilli capitulo per paruum id foramen ad plagam uſq; ſuperiorem implicitum in longitudinem linamentũ, id eſt lemniſcum traijcimus: ulceribus poſtea ſpongia deterſis lana oleo inſperſa per plagam deorſum ad teſticulum conijcienda eſt; alia

item uino, cui oleum adiectum ſit, madida ſcroto, abdomini, inguinibus, interfemineo lumbisq́ extrinſecus eſt imponenda; tum ſuper explicãdum eſt triplex linteum, ac ſexicrurijs, alijsq́ accommodatis deligationibus utendum: reclinato poſtea homine lanas ſcroto ſubijcimus quo requieſcat, mollemq́ alutam illis ad fomentorum inſperſionem excipiendam ſubſternimus. Fouemus enim uſq́ ad tertium diem calido oleo: tertio pòſt die reſoluentes tetrapharmaco imbutum linamentum in uulnus inijcimus, lemniſcumq́ ex polline immutamus, extrinſecusq́ ob inflammationem madefacimus: poſtea linamentorum cuſtos medicamentum ſuper damus. Expurgato ulcere, & carne mediocriter ſuperinducta deinceps abluendus eſt æger: tum lemniſcus extrahendus, reliquaq́ curatio, ſicut ſuprà dictũ eſt adhibẽda. Si inflammatio, ſi ſanguinis profuſio, ſi tale aliquod malũ ſuperuenerit, unicuiq́ proprijs remedijs, ne reiterare eadem ſæpius cogar, occurrere debemus. Cæterum ſi magis, quod recentioribus placet, aduſtionem in hoc uitio admittamus, omnia nihilominus quæ uel ante, uel poſt manuum operam dicta ſunt, imò etiam in ipſa, excepta tantum ſectione quę ferro, & minuta illa inferius ad puris exitum inciſione, etiamnum erunt facienda: ignitis ſiquidem decem aut duodecim ferramẽtis ad Γ literæ græcæ figurã, duobusq́ item cultris, prius ſcrotũ in medio ſupradictis ferramentis adurimus: deinde membranulas uel ſpecillo, uel retuſo hamo diductas, ac reſolutas cultro candenti præcidimus, tum denudata erytroide tunica, quæ ex albedine & ſoliditate facile agnoſcitur, ſummoq́ ad Γ figurã ferramento deuſta, humorem effundimus, totumq́ id quod ex ea abſolutũ eſt hamis attractum candenti altero cultro excidimus.

De carnoſo & tofaceo ramice. Cap. LXIII

CAro aliqua in parte inter ſcroti tunicas aliquando cõcreſcit, uitiũq́ id facit, quod ſarcocelem uocant: hæc fit obſcura quadam de cauſa, teſticulo uel fluxionẽ paſſo, uel indurato: nonnunquam ex percuſſione, aut negligenti poſt herniam ſectam curatione. His quæ hoc modo conſtitere unà cum duritie concolor tumor eſt: illis quæ ex induratione fiunt, decolor ac ſenſu carens: malignas uero pungentes dolores conſequuntur. In curatione eodem modo, ut ſuperius dictum eſt, & hominem collocabimus & incidemus. Sed ſi circa teſticulum caro increuit, utræq́ tunicæ darta & erytroides ſunt incidendæ: deinde attrahendus teſticulus, atq́ ex erytroide excipiendus, tum uenæ à neruo ſeparatæ deligandæ, ipſeq́ neruus à quo teſticulus dependet præcidendus eſt: teſticulus deinde tanquã alienus eſt eijciendus. At uero ſi aliqua in tunica aut uaſe concretio hæc extiterit, diuiſo ſcroto, ſubiectisq́ mẽbranis inciſis quicquid ab excreſcentia carnis occupatum eſt, excîdi debet. Quod ſi poſterior pars, qua erytroides tunica teſticulo inhæret, hoc uitium patitur, omnibus quæ circumcirca ſunt exciſis, teſticulum quoque ipſum extrahemus: fieri enim nullo modo poteſt, ut ſine inhærentia illa teſticulus remaneat. Tofi uero lapides tum circa teſtẽ, tum in erytroide ſolent concreſcere, multaq́ duritie et aſpritudine, tum etiã inęqualitate à carnoſa hernia, & aquoſa diſcernuntur. His eadem quæ ſarcocele curatio adhibetur.

De uaricoſo ramice ac ſpirituoſo. Cap. LXIIII

VEnæ quidem uel ſcroti uel membranarũ quæ dartæ appellantur, cum intumuerunt uarices abſolute appellare conſueuerunt. At ſi illis quæ teſticulo alimentum præſtant hoc euenerit, uaricoſum ramicem dicũt. Huius notæ manifeſtæ ſunt: tumor paulò minor, aliquatenus obliquus, & racematim conglomeratus, tum teſticuli relaxatio euidens apparet: alia præterea functionum impedimenta in curſu pręſertim alijsq́ exercitationibus, & itinere deprehenduntur. Curatio quæ manu adhibetur, talis ęſt. Vbi apta figuratione ęger fuerit collocatus, attrectato ſcroto neruum à quo teſticulus dependet in inferiorem partem depellimus: qui quidem ex eo facile agnoſci poteſt, quod cum fortis ac ualens ſit, uenis tenuior, ſolidiorq́ ſentitẽ, ac magis renitens, maioremq́ dolorem affert, ſi cõprimatur: eſtq́ præterea iuxta colem cõſtitutus, quo de=

preſſo

preſſo uenas digitis & noſtris & miniſtri in ſcroto hincinde apprehenſas uehementer extendimus; deinde cutem contra ipſas uenas acie ſcalpelli leuiter, atq; oblique ducta incidimus, tum hamis infixis ſubiectas partes à cute ſubſecantes diducimus: uenasq; ipſas nudatas, ſicut in uenarum exemptione, & dilatationibus diximus, acu duplex linum ducente traijcimus, easq; lini ſinu inciſo duobus locis, & qua incipit, & qua deſinit uaricatio, laqueis cõſtringimus: prius tamen facta in longitudinem inciſione, ac ſanguine emiſſo: poſtea pus citãtibus curamus, quoad unà cum uenis uincula quoq; ipſa excidant. Ita faciendũ Leonides iubet, cum aliquę ex ijs, quæ teſticulũ alunt, uenę uaricatæ ſunt: nam ſi omnes ita affectæ ſint, unà cum ipſis etiã teſticulus erit euellendus, ne alimento amiſſo cõtabeſcat. Spirituoſi uero ramicis, quam pneunatocelen dicũt, cum ex genere dilatationũ ſit, idem manuũ operam non eſſe adhibendam putat ob præſentaneũ nimiæ ſanguinis profuſionis periculum: recentiores tamen, cum uitij huius duplex ortus ſit, & aliàs à quatuor illis uaſis, quæ teſticulo alimentum præſtãt, aliàs ab ijs, quæ in dartis tunicis & ſcroto ſunt arterijs ramex efficiatur, hunc ut deſperatum relinquunt, priorẽ curant. Hac enim ratione diſcernũtur: Qui ab arterijs fit, facile ad digitorum cõpreſſionem euaneſcit: qui à uenis quæ teſticulũ alunt, ortũ habet, uel omnino nullam, uel paruam admodũ occultationem præ ſe fert. Eadem his quæ uaricoſo ramici curatio adhibetur, ſingulis quibuſq; uenis exceptis ac uinctis.

De hernia inteſtini. Cap. LXV

INteſtini hernia, eſt inteſtini in ſcrotũ delapſus: qui fit ex membranæ abdominis uel ruptura circa ilia, uel laxatione: atque hæc utraq; ruptio & laxatio uiolentia aliqua præcedente, puta ictu, ſaltu, aut clamore accidũt. Laxatio uero priuatim etiam ex reſolutione, aliáue corporis imbecillitate ſolet euenire. Signa utriſq; cõmunia ſunt hæc: euidens in ſcroto extat tumor, qui in exercitationibus, calefactionibus, ſpiritus retentione, alijsq; huiuſcemodi accidentibus maior efficit: dumq; digitis cõprimitur, tarde recedit, & citò rurſus relabitur. Inteſtinũ præterea in ſupinis corporis figurationibus ſuperius in ſua ſede ijs manet: cum erecti ſteterint, in ſcrotũ delabitur, ut & ſtercus in ſcroto interclusum non paruũ ſæpenumero periculũ afferat: dolore enim infeſtat, & ad digitorum compreſſionem crepitũ, & rugitũ ædit. Atq; hæc quidem cõmunia: ſingularũ uero priuatim mox indicia ſubſequentur. In ea quæ ex laxatione membranæ oritur, nõ repente ex toto, ſed paulatim ex parte, & quibuſlibet de cauſis interdum delabitur inteſtinũ, tumorq; æqualis, ac conditiore in loco apparet: utputa cum delapſum inteſtinum membrana cõſtrictum teneatur. At quę ex ruptura prouenit, & repente ab initio, & certis de cauſis tantũ fit, tumoremq; magnũ, & inæqualem præfert: qui eo quod membranã erupit inteſtinũ, ſub cute protinus ſentitur. Verũtamen ſi rupta membrana omentũ tantũ in ſcrotum exciderit, epiplocele, hoc eſt omenti hernia: ſi omentũ ſimul inteſtina ſecuta ſint, enterepiplocele, id eſt inteſtini & omenti hernia nũcupatur. Sed ſi etiã cum in his aqua in erytro tunica cõtineatur, ex tribus appellationẽ cõpoſitã habebit, hydrenterepipocele, id eſt, aquæ inteſtini & omenti hernia nominata. Porrò neq; his cõpoſitis hernijs, neq; ſimplici, ſi ex ruptura fit, manus ſunt adhibendæ: ſed illa tantũ, quæ ex laxatione cõſtiterit, curanda in hũc modũ eſt. Apte homine reſupinato inguinis cutem à nobis & miniſtro ſubleuatã tranſuerſa, ſicut in exemptione uenarũ, inciſione aperimus: quãuis alij ſint, qui nõ trãſuerſa, ſed recta ſectiõe utant: deinde iniecto hamo plagã ad eam latitudinẽ explicamus, qua educi teſticulus attractus cõmode poſſit: tum rurſus in intima cute tot hamis infixis, quot uulneris amplitudo exigere uidebit, mẽbranulas, & adipẽ, aut retuſo hamo, aut ſpecillo diducimus, ſcalpelloq; excidimus: liberataq; undiq; atq; expedita abdominis mẽbrana indicẽ digitũ in poſteriorem ſcroti partẽ demittimus inter membranã hanc, & dartas tunicas: atq; eo poſteriorem illam inhærentiã abſoluimus. Poſt hæc dextera manu fine earũ duplicato, ſiniſtra abdominis membranã ad plagã ipſam attrahimus, ac teſticulũ unà cum erytro tunica eductũ miniſtro attollendũ tradimus. Et nos poſteriore illa inhærẽtia penitus abſoluta

digitis contrectando conſideramus, an inteſtini aliquis anfractus in erytroide cõtineatur: qui ſi inuentus ſit, deorſum in uentrẽ depellitur. His ita conſtitutis acu magna quę linum decies tortum duplex trahat accepta, extremitatem membranę abdominis quę iuxta plagam eſt, in medio traijcimus: ſinuq; pręſecto, ita ut quatuor lini capita efficiantur, illis utrinq; inter ſeſe decuſſatim ad x literæ figurã innexis, ex utraq; parte membranã ipſam uehementer aſtringimus, rurſusq; iiſdem capitibus circũuolutis conſtrictionem duplicatis nodis repetimus, ſic ut nulla amplius uena ſuppeditare parti illi alimentũ poſſit: ne ſi id fiat, inflammatio aliqua oriatur. Inde ſecundũ uinculũ minori q̃ duorum digitorũ interuallo à priori diſtans inijcimus, partemq; eam membranæ quæ ad digiti magnitudinem extra uincula relinquitur, circumcirca amputamus, unà cum ipſa etiam teſticulo exciſo. Poſtremo ſcroto paululũ ſubter inciſo, quo ſaniei exitus pateat, lemniſcoq; inſerto, ſuperq; oleo inſuccata lana impoſita deligatiões, ſicut in aquoſa hernia adhibebimus: ac cætera omnia, quemadmodum ibi dictum eſt, ita faciemus. Noui uero quoſdam nõ imperitos ſanè chirurgos, qui poſt erytroidis exciſionem, metu ſanguinis profuſionis, ut uidetur, caput eius candentibus ferramentis adurebant: iidem poſt ſcalpelli operam ægrum ſtatim in ſolium ligneum oblongum aquæ calidæ uſq; ad ſeptem dies demittebãt, ac præcipue pueros, eiſq; quinquies per ſingulos dies eo balneo uti præcipiebant: resq; ipſis mirum in modum ſuccedebat, dum & nulla inflammatione infeſtarentur, & uincula unà cum partibus conſtrictis citò exciderent: nihilominus per id tempus quod inter ablutiones intercedebat, ſupradictis inſperſionibus & fomentis utebãtur. Adde quod alius quidam præter hæc omnia per id tempus pipere ex oleo trito ſpinam dorſi perfricare conſueuerat.

De inguinis hernia. Cap. LXVI

INguinis hernia præcedere deſcenſum inteſtini ſolet, qui per laxationẽ fit: nam cum extendi abdominis membrana incipit, laxatum inteſtinum ad inguen primum delabitur, ibiq; inguinis herniam facit: cui ueteres talem ſcalpello curationẽ adhibebant. Poſteaquam inguen ea in parte, qua extuberat, tranſuerſa inciſione trium digitorum longitudine aperuerant, membranulaſq; & adipem eduxerant, membranam abdominis denudatã ea in parte, qua faſtigiatur, capitulo ſpecilli comprimebãt: ita enim fiebat, ut inteſtina ſurſum repellerentur: duaſq; membranæ partes quæ utrinq; à ſpecillo exurgebant, ſuturis inter ſe committebant: deinde ſpecillo extracto, neq; membrana præciſa, neq; teſticulo exempto, neq; alia quapiam re facta, iis quæ cruentibus uulneribus iniiciũtur, medicamentis curabant. Cæterum quoniam à recentioribus in huiuſcemodi uitijs aduſtio anteponi conſueuit, hanc etiam trademus. Efficiendum igitur eſt, ut poſt moderatam motionem æger paulò uiolentius tuſſiat, ac ſpiritus retentione intendatur. Atq; ubi tumor in inguine apparuerit, locum, qui adurendus eſt, uel atramento ſcriptorio, uel collyrio ad triangulam figurã circũſcribemus, ſuperius ad inguinis ſitum tranſuerſa linea cõſtituta, punctoq; in medio triangulo notato: reclinato poſtea homine candentia ferramẽta prius medio illi puncto ad claui, deinde lateribus ad r literæ græcæ figuram admouebimus: poſtremo alijs cauterijs ad laterculi & lentis ſimilitudinem totam trianguli arcam complanabimus: miniſtro per totam aduſtionem ſaniem panniculo aliquo abſtergẽte: atq; hoc eouſq; faciendum eſt, quoad ad tantam profunditatẽ deſcendamus, ut in mediocris habitus corporibus adeps attingat. Nam neq; illis, qui adipe penitus carent, nimiam ob maciem puncto illi eſt imprimendũ ferramentũ: ne forte imprudentes ipſam interiorem membranam aduramus: neque nimis obeſis ac pinguibus, in quibus etiam antequã ſatis aduſtũ ſit, adeps occurrit. Qua in re ut mediocrem habitum inueniamus, artificioſa quadam cõiectura opus eſt. Poſt aduſtionem porrũ cum ſale tritum cruſtæ imponunt: tum inguinalibus, hoc eſt ad x literæ ſpeciem deligationibus utũtur. Sequentibus diebus cruſtam reſoluentibus medicamentis, qualia ſunt quæ ex lenticula & melle conſtant, & ſimilibus curationẽ proſequuntur.

De laxatione ſcroti quam rhacoſin dicunt. Cap. LXVII

CVm ſcroti cutis interioribus partibus ſua in ſede permanentibus laxatur, rhacoſis euenit, uitium ſanè maximè indecorum. Quod Leonides ita curabat: reſupinato homine, ac ſuperuacanea pelle cōtra tabulam quandam, aut durū aliquod corium ſcalpello præciſa, ſuturas adhibebat. At Antyllus ſuturis prius tribus, uel quatuor iniectis, poſtea uel forfice acuta, uel ſcalpello cutem ſuper ſuturas abſcindebat: quod ubi fecerat, conglutinantibus medebatur.

De caſtrandi ratione. Cap. LXVIII

CVm noſtræ huius artis ſcopus ſit, ut à pręternaturali affectione in naturalem corpora reſtituamus, contrariā uidetur caſtrandi ratio profeſſionē habere. Sed quoniam ſæpenumero euenit, ut à potentioribus aliquibus caſtrare homines uel inuiti cogamur, huius rei modus quābreuiſſime referendus eſt. Caſtrandi duplex ratio eſt: una per colliſionem, altera per exciſionē. Per colliſionem ita fit: puerulos adhuc infantes in peluim aquæ calidæ collocamus, ſic ut in ea deſideant: deinde ubi partes illæ remollitæ aqua, laxatæq; fuerint, teſtes digitis cōprimimus ac collidimus, quoad diſſipati euaneſcant, neq; ſub tactū amplius occurrāt. Exectio uero in hunc modū adminiſtratur: hominem in ſedili apte reſupinamus, deinde ſiniſtræ manus digitis ſcrotū unà cum teſtibus cōpreſſum extendimus, idq; ſcalpello admoto in rectū duabus lineis ad ſingulos teſtes unà incidimus: tum, ubi proruperint teſtes, eos ab alijs partibus diligēter reſoluimus, ac diducimus, ſolaq; tenuiſſima illa naturali uaſorū cōtinuitate relicta execamus. Hic modus colliſioni in eo præſtat, q̄d q colliſi ſunt, ꝓpterea quod pars aliqua teſtiū, ut ueriſimile eſt, in collidēdo ſubterfugit, ac remanet, cōcubitū appetere minime deſinūt.

De hermaphroditis ancipitis ſexus hominibus. Cap. LXIX

HErmaphroditorū uitium cōpoſitū nomen ex Herme & Aphrodite, hoc eſt Mercurio & Venere adeptum eſt: ualdeq; utriq; ſexui indecorū eſt. Nam cum quatuor ſint iuxta Leonidem ipſius differentiæ, tres in maribus, una in fœminis cōſiſtit. In maribus ſiquidem aliquando ſub ſcroto in interfemineo, interdū in medio ſcroto genitalis muliebris forma pilis obtecta cōſpicitur: quandoq; etiam in eodem ſcroto quaſi muliebris genitalis rima quædam exiſtit, per quam urina deſtillat. In fœminis uero ſupra ipſum genitale in pube uirilis membri ſpecies ſæpe inuenitur: quæ tribus quibuſdam eminentibus partibus una quaſi cole, reliquis duabus utrinq; quaſi teſtibus conſtituitur. Tertia illa quæ maribus cōtingit ſpecies, qua per ſcrotum urina guttatim manat, inſanabilis eſt: reliquę tres curationem admittūt: exciſis enim ſuperfluis partibus, eo modo quo alia ulcera curari conſueuerunt.

De nymphæ præciſione, & caudatione. Cap. LXX

SVpra modum quibuſdam adeò excreſcit nympha, ut nō mediocri turpitudini ſit: ac quemadmodum memoriæ produnt nonnulli, aliquæ ſunt fœminæ, quæ parte hac non ſecus ac uiri arrigere interdum ſoleant, & ad coitum incitentur. Quocirca ſupina collocata muliere uulſella apprehendenda ac ſcalpello excidenda nympha eſt: cauendum tamen ne nimis alte excidamus, ne rhyadica affectio ſubſequatur, hoc eſt hiatus, unde aſſidue humor effluat. Caudatio quoq;, quæ caruncula quædam eſt ab orificio uuluæ exorta, totumq; muliebre genitale replet, adeò interdū creſcit, ut inſtar caudæ in exteriorem partem promineat: hæc ſimili modo quo nympha abſcindenda eſt.

De thymis, & condylomatis, & hæmorrhoidibus in locis muliebribus. Cap. LXXI

THymus tuberculum eſt interdum rubrum, interdum album, maiori ex parte dolore carens, corymbis thymi herbæ perſimile. Cōdylomata uero rugoſæ quędam extuberationes ſunt: nam hæmorrhoides ſimiles ijs quæ in ſede eueniunt, aliquando etiā ſanguinē fundūt. Omnia igitur hæc ubi ſub aſpectū uenerint, & nudata fuerint,

uulſella apprehenſa ſemiſpathulę acie excidunt. Quod ubi factũ eſt, galla trita, ac ſciſſili alumine curantur; lino enim hæc aſtringere maiores, clarioresq́; chirurgi nõ probãt.

De compactis naturalibus muliebribus, & phimoſi, hoc eſt præcluſione eorundẽ. Cap. LXXII

COmpacta genitalia mulieribus interdũ ab ortu, interdum ex ſuperueniente cauſa, cum morbus ſcilicet aliquis pręceſſerit, efficiuntur: quod quandoq; alte, quandoq; in ipſis alis, uel intercedẽtibus partibus, atq; id uel ex conglutinatione, uel ex obſtructione euenire conſueuit: obſtructio uero uel carne, uel membrana oppoſita accidit. Hoc porrò uitium tum in cõcubitu, tum in conceptione, tum in partu, adde etiam nonnunquam in menſibus expurgandis magnum impedimentum affert: ſi uidelicet uel membrana, uel caro prorſus obſtruat: nam in quibuſdã foramen in medio quoddam anguſtum patet. Cauſa igitur inuenta uel expedita ratione ſi res in promptu ſit, uel dioptra, hoc eſt exploratorio inſtrumento ad uuluam aperiendam demiſſo, ſi conglutinatio eſt, hanc recta linea ſcalpello ad fiſtularum inciſionem accõmodato reſoluimus: ſi obtentũ aliquid obſtruit, hamis iniectis uel membranam uel carnem attractam ſcalpello eodẽ diuidimus: deinde ſanguinis profuſione exiccãtibus ſine mordicatione medicamentis repreſſa, cicatricẽ inducentia adhibemus, priapiſco ſuppoſito, hoc eſt linamento oblongo ad colis formam facto, quod ex cõglutinantibus aliquo tinctũ antea fuerit: atq; hoc præcipue fit, ubi non admodum alte inciſum eſt, ne partes rurſus coëant. Præcluſio itidem oſtioli uuluæ qui phimus dicitur eodem modo curanda eſt.

De abſceſſu uuluæ. Cap. LXXIII

CVm circa os uuluæ abſceſſus ortus eſt, qui manus operam poſſit admittere, non ſtatim debemus ad inciſionem feſtinare: ſed ob præeminentiam uuluæ eouſque expectare, quoad abſoluta diſpoſitio eius, auctaq; ad ſummum inflammatio ſit, ſuperiectæq́; humidæ partes attenuatæ fuerint, tuncq́; chirurgiam aggredi. Ante omnia igitur mulier in ſedili ita collocanda eſt, ut crura ac femina inter ſe diducta ad ilia contrahat, cubitiq́; eius ad poplites dandi, ac uinculis accõmodatis ad ceruicem deligãdi ſunt. Tum medicus à dextra parte ſedens, dioptra ad ętatem idonea uuluam aperire debet: prius tamen ſpecillo ſinus muliebris profunditas librãda ac metienda, ne ſi longior dioptræ tibia fuerit, uulua comprimatur. Quod ſi tibia dioptræ maior ſinu inueniatur, duplicia aliqua linteola in alis inſerenda ſunt, ac ſupponenda, ſic ut ſupra ipſa dioptra demiſſa collocetur: atq; ita eſt demittenda, ut cochleam in ſuperiore parte habeat: à medicoq; continenda eſt. Cochleam uero à miniſtro intorqueri conuenit, quo tibiæ compagibus diductis ſinus muliebris diſtendatur. Vbi autẽ hoc modo abſceſſus occurrerit, ſi mollis ac tenuis ſit, id quod digitorũ attrectatione cognoſcitur, polypica ſpatha, aut ſcalpello ad id facto incidendus eſt: deinde pure expreſſo implicitum in longitudinem linamentum molliſſimum ex roſaceo oleo in plagam conijciendum eſt, uel potius extra plagam ſine ulla impulſione leniter demittendum: extrinſecus uero ſupra alas, & imum uentrem, & lumbum ſuccidas lanas, uel puras oleo imbutas imponere neceſſe eſt. Tertio poſt die uel calida aqua cui oleum adiectum ſit, uel maluæ decocto inſidentibus fouere oportet: poſtea abſterſo loco linamentum illud oblongum, hoc eſt lemniſcum tetrapharmaco uel ſolo, uel cum melle inunctum leniter in plagam inſerere: tetrapharmacum uero uel butyro, uel roſaceo prius eſt diſſoluendum: ſuperq́; cataplaſmata extrinſecus danda: quo & abſque inflãmatione, & purũ ulcus ſeruetur. Quod ſi difficulter expurgetur, auriculario clyſtere uel iridis, uel ariſtolochiæ decoctum, uel mel eluendi cauſa intrò compellendum eſt. Poſtremò emplaſtro ex cadmia uino diſſoluto, ac tinctis linamentis cicatrix inducenda. Verum ſi intra os uuluæ abſceſſus conſtiterit, manu eſt abſtinendum.

De fœtuum emortuorum extractione & exciſione. Cap. LXXIIII

IN tertio libro earum quæ in partu difficultatem patiuntur, curationem tradidimus. Vnde

Vnde ſi eo modo res non ſucceſſerit, ad manus præſidiũ meritò eſt deueniendum: animaduerſa prius ac notata mulieris affectione, febri oppreſſa ſit, nec ne: nam ſi ſalus ſperatur, aggredienda, ſin minus reſpuenda chirurgia eſt. Earum quæ morituræ ſunt hæc ſigna habentur: ueternoſo quodam torpore in ſomnum deferuntur, & reſolutæ ſunt, difficulterq́ꝫ excitantur. Siq́ꝫ paululum ad clamores oculos ſuſtulerint, imbecilliter admodum reſponſione data, iterũ ſopiuntur. Nonnullis etiam cõuulſio & neruorũ contractio accidit: aliæ alimentum non ſentiũt: his ſanè pulſus admodum eleuatus, obſcurus tamen, & infirmus deprehenditur: in quibus uero nihil tale eſt, ſpes ſalutis præfertur: hiſq́ꝫ curatio adhibenda eſt. Reſupinanda igitur in lecto mulier eſt, ſic ut caput humilius ſit, & crura ſublata à mulieribus utrinq́ꝫ, aut miniſtris aliquibus contineantur. Quod ſi non adſint, uinculis quibuſdã ad thoracem datis lectulo erit deliganda, ne ad fœtus attractionem ſequens corpus, uim eius omnem debilitet ac refringat. Deinde poſtea à miniſtro diductis uuluæ alis medicus ſiniſtram manũ unctam ac leuigatam digitis cõſtrictis in os uulue debet inſerere, ipſumq́ꝫ aperire, oleo etiam ipſum ante perfuſum: tum demiſſa manu quęrere, quo uncus cõmode ſit inijciendus. Idonei ad infigendum uncũ loci, in ijs qui in caput deferũtur, ſunt oculi, occipitiũ, os ad palatum, mentum & iugula, coſtarũ quoq́ꝫ & hypochondrij ſedes: in ijs uero qui in pedes exeũt, pubis oſſa, intercoſtia, & item iugula: quod ubi cõſiderauerit medicus, uncũ dextera manu continebit, ſic tamen, ut inter ſiniſtræ manus digitos retortũ eius acumen occultatũ paulatim intrò ferat: deinde alicui ex ijs ſupradictis locis, eum tantiſper infiget, quoad in uacuũ locum mucro deueniat: tum alterũ ex oppoſita parte inijciet, ne in alterũ latus magis, ſed æquali libramẽto protrahatur. His ita factis attrahere æquabiliter debet, non ſolum in rectum, ſed in latera etiam: perinde atq́ꝫ in dentium euulſione fieri cõſueuit: neq́ꝫ inter agendũ ex intentione quicquam remittere: poſtea indice digito apte leuigato atq́ꝫ uncto, uel pluribus etiam demiſſis, atq́ꝫ inter os uuluæ, & corpus qua parte anguſtatur, inſertis, ac in orbem circũactis, quaſi diducere fœtum ab illis partibus, ac reſoluere. Quoniã uero pro attractionis ratione uncus ſequitur, is ſubinde eſt in ſuperiores partes transferẽdus, quoad fœtus perfecte fuerit exemptus. Quod ſi manus infantis porrecta retro pelli ob anguſtiam nõ poſſit, panniculo aliquo circũiecto, ne dilabatur, aliquantulum protrahenda: atq́ꝫ ubi prociderit, tota ab humero excidenda eſt. Idem ſi utræq́ꝫ exeant, faciendũ. Simili modo ſi crura prolapſa reliquũ corpus non conſequãtur, ab inguinibus debent amputari: tum danda opera, ut reliquũ corpus dirigatur. Cum uero nimis magnũ caput anguſtias facit, ita fit. Si hydrocephalus eſt infans, uel ſpatha polypica, uel catiade, uel aculeato cultello condito inter digitos caluariã eius incidimus, ut humore exinanito extenuetur. Si autem naturaliter caput ita plenũ ſit, aperimus quidem ſimiliter caluariam, deinde tamen eam forcipe uel ad dentes, uel ad oſſa capienda accommodata confringimus: ſiq́ꝫ oſſa aliqua eminent, eximuntur. At ſi protracto capite turgidus thorax impediat, partes circa iugula eodem inſtrumento ſecantẽ, ita alte adacto, ut ad interiora penetret: ita enim fit, ut effuſo humore thorax concidat. Sin minus euenerit, iugula ipſa etiam erunt præcidenda atque extrahenda: tunc enim omnino concidat neceſſe eſt. Eadem ratione cum abdomen emortui fœtus ſiue alia quapiam de cauſa, ſiue ex aqua inter cutem inflatum deprehenditur, unà cum interaneis euacuandũ eſt. Si is qui in pedem fertur, paululum in tranſuerſum iaceat, ad os uuluæ non difficulter dirigitur: ſiq́ꝫ uel thorax, uel uenter obſtipationẽ præbeat, circũpoſito panniculo debent attrahi, atq́ꝫ eodẽ, quo dictũ eſt, modo euacuari. At uero ſi omnibus alijs partibus detractis caput ſolũ relapſum fuerit, ac retineatẽ, iniectã manũ ſiniſtram debemus per os uuluæ, ſi apertũ ſit, deorſum in fundũ demittere: atq́ꝫ ubi caput inuenerimus, ad os ipſum digitis deuoluere, deinde uno uel altero unco infixo attrahere: ſin aũt os occluſum ſit, ne inflãmetẽ, nullã uim adhibere neceſſe eſt, ſed inſtillationibus lenibus & copioſis, inſidẽtibus, inſperſionibus & cataplaſmatis uti, ut ſic aperto uuluæ orificio cõmode, ſicut ante dictũ eſt, extrahi poſſit. Trãſuerſus infans ſi dirigi poteſt, rationibus traditis eximẽdus eſt. Si nõ poteſt, cõcîdi intus, ac particulatim educi

debet: ſumma cura habita ne pars aliqua latens intus relinquatur. His ita peractis, curatione quæ in uuluæ inflammationibus adhibetur, utendum eſt: ſiq; ſanguinis profuſio ſequatur, remedia ad id ſuperius tradita habuiſti.

De ſecundarum retentione. Cap. LXXV

SAepenumero accidit ut extracto infante uelamentũ, quas etiam ſecundas uocant, retineatur. Si igitur & os uuluæ pateat, & ipſæ ſecũdæ à uulua diductæ aliquo in loco globatim cõuolutæ iaceant, educi ita facilime poſſunt: Manus ſiniſtra calefacta atq; uncta in uuluam demittitur, ibiq; ea inuentæ ſecundæ eijciuntur. Sed ſi in fundo uuluæ inhæreant, manus ſimili modo demittenda eſt, ipſæq; apprehenſæ attrahendę: non in rectum tamen, ne uuluę procidentia efficiatur: neq; multa cum ui, ſed leniter prius, atq; obſequendo in latus hac illac ſunt agitandę, tum aliquantulo fortius excutiendæ: ita enim fit, ut ab inhærentia abſolutæ poſtea ſequantur. Si os uuluæ cõniueat, eædem medelæ, quas modo tradidi, erunt adhibendæ: quamuis etiam niſi infirmæ uires ſint, tum cientibus ſternutamẽta, tum ſuffitu in olla ex aromatibus uti poſſimus: ubi hiauerit, eodem modo manu demiſſa ſecũdas educere tentandum eſt: ſed ſi neq; ita extrahi queant, non opus eſt ulterius moleſtare ægram: nam paucos poſt dies tabefactæ, atq; in ſaniem diſſolutæ per ſe tandem excidunt. Quia tamen fœtore caput aggrauant, & ſtomachum euertunt, accommodata ad hoc ſuffimenta erunt neceſſaria: quo in genere cardamomum, & fici aridæ maxime probantur.

De coxendicum aduſtione. Cap. LXXVI

QVemadmodũ humerus, ita etiam coxa prolapſa in quibuſdam aduſtionem requirit. Qua de re Hippocrates in hunc modum inquit: Quibuſcunq; ex coxendice diuturna coxa excidit, crus lædit̃: ipſiq; claudicãt, niſi aduſtio adhibita fuerit. Debet igitur etiã hic eo præcipue in loco aduſtio admoueri, quo articulus exiuerit: ita enĩ fit, ut & redũdans humor exiccetur, & locus ex cicatrice aſtrictus, oſſis prolapſum nõ amplius admittat: quamobrem ad multam altitudinem adurendũ eſt. At recentiores nõ unam tantũ, ſed tres adhibere aduſtiones ſolent: Vnam in poſteriore parte ad concauitatem clunis, aliam ab exteriore paululum ſupra genu; tertiã paululum ſupra exteriorem talum, qua carnoſior locus huiuſmodi medicinæ magis eſt accommodatus.

De fiſtulis & fauis. Cap. LXXVII

CVm locus iam exigat ut de fiſtulis ani dicamus, non inutile erit, ſi prius de fiſtulis in uniuerſum aliquid explicemus. Fiſtula igitur eſt ſinus calloſus, dolore aliquantulum uacans, qui in pleriſq; membris exoritur, fitq; ut plurimum ex abſceſſibus male curatis. Callus uero cõpacta quædã, alba atq; expiratione priuata caro eſt: unde etiam dolorem nõ ſentit, quippe cum neq; uena, neq; neruus aliquis ad ipſam pertingat. His ſanè interdũ ſiccus, interdum humidus ſinus eſt: atq; humor quandoq; aſſidue fertur, quandoq; intermittit, cum ſcilicet quibuſdam temporibus os & obſtruatur, & rurſus pateat. Iam aliæ in oſſa, aliæ in neruos, aut aliquas alias principales partes finiunt: atq; hæ uel rectæ ſunt, uel obliquæ: uel unum os, uel plura habent: quæ in magnas arterias uel neruos, uel tendones, qui alicuius momenti ſint, uel ſuccingẽtem coſtas membranam, uel talem aliam præcipuam partem deueniunt, aut omnino ſunt omittendæ, aut multa cum diligẽtia atq; arte pertractandæ. Reliquas uero in hunc modũ curabimus: tentari prius debent, ſi rectæ ſunt, ſpecilli quodam genere, quod coparion uocant, demiſſo: ſi obliquę dipyreno, alio ſcilicet ſpecillo utrinq; capitulum habente, quod tamen flexile ſit: cuiuſmodi ſunt ſtannea atq; etiam ęnea, ſi tenuiſſima fuerint. Quæ uero duo uel plura habent ora, quæ inſtrumentis tentari minime poſſint, ita notantur: Clyſtere in ſinum per unum os liquorem cõpellimus, exq; tranſitu eius in reliqua ora facile animaduertimus una ne quæ multa ora habeat, an multæ fiſtulæ ſint: his ita exploratis, ſi in ſummo fuerit ſinus, atq; is anguſtus, ſpecillo demiſſo explicãdus eſt, ſuperq; accom

modata figura ſcalpello incidendus: tum callus uel unguibus, uel acie ſcalpelli radendo detrahi debet. Siq; latius diffundat, nihilominus cum totis illis ſuperfluis partibus erit excidendus. At ſi non ſub cute tranſuerſæ feruntur, ſed recte intus tendunt, ubi quamprofundiſſime poteſt, inciſus fuerit ſinus, totus circũcirca ſimili modo callus excidendus eſt. Si aliquid ex eo relictum fuerit, adurenti id medicamento abſumendum: ſi multũ ſit, nec medicamento cedat, candentibus ferramentis adurendum eſt. Cum uero in os fiſtula deſinit, os ipſum ſi integrum eſt, radi tantummodo debet: ſi carie, aut aliquo alio modo uitiatũ eſt, totam corruptam partem exciſorijs ſcalpris oppoſitis, prius tamen, ſi opus ſit, adhibita terebratione excidere oportet: ſiue uſq; ad ſpiraculum tantum, ſiue uſq; ad medullam uitiũ penetrauerit. Sed ſi aliquod os quaſi per tranſuerſum fractum extet, ſerra deſecandũ eſt: quod ita facimus: duas habenas ſumimus, harumq; alteram medio ſinu oſſi eminenti innectimus, damusq; miniſtro intendendã: alteram quæ craſſior eſſe, uel è lana conſtarę debet, ſimili modo carni quæ ſub oſſe eſt, inſertamus: duoq; eius capita deorſum attrahi ab altero miniſtro iubemus, ſic ut caro deorſum depreſſa lacerari à ſerræ dentibus minime poſſit: atq; ita deſecamus. Vbi uero aliqua ex præcipuis partibus ſubiacet, utputa uel ſuccingens coſtas mẽbrana, uel medulla dorſi, uel tale quippiam, dum oſſa aut excidimus aut ſerramus, membranæ cuſtos lamina ſupponenda eſt. At ſi os minime uitiatum quidem fuerit, ſed totum tamen undique carne ſpoliatum ſit, nihilominus ſupradicto modo deſecari debet: fieri enim nullo modo poteſt, ut oſſa, quæ circumcirca penitus ſunt denudata carne, amplius inducantur. Pari ratione ſi pars alicuius oſſis, quæ iuxta articulũ terminat, corrupta ſit, ſerra erit amputãda. Neq; tantũ in partibus hoc fit, ſed etiam ſæpenumero, ſi totum aliquod os uitiatum ſit, qualis eſt cubitus, radius, tibia, id genus reliqua, totum eſt detrahendum: femoris tamen capiti, aut coxæ, aut dorſi uertebræ alicui, etiam ſi corrupta ſint, ob maximum ex adiũctis arterijs periculũ hoc medicinæ genus adhibere recuſabimus: illud enim perpetuũ ſit, ut in ſingulis ubiq; & poſituræ, & uicinitatis, & cognationis partiũ affectarũ, & morbi magnitudinis, & ægrotantis uiriũ rationem habeamus. Iam uero fauus cum ſit etiã ipſe fiſtuloſus ſinus, qui melli ſimilem ſaniem quandã emittit, eadem quæ fiſtulæ, & alij ſinus tam manus, quàm medicamentorum præſidia requirit.

De fiſtulis ani. Cap. LXXVIII

ANi fiſtulæ ita explorantur: occultæ ex eo cognoſcũtur, quod nullo ore apparente dolor eam partem male habet: & humor quidam purulentus ex ano promanat: plerunq; etiam incidit, ut abſceſſus indicia prius extiterint. Manifeſtas aut ſpecillũ, aut ſeta ſuilla demiſſa arguit: alte enim quoad inanem locum offendat inſtrumentum deſcendit, digitoq; indici quẽ per anum iniecerimus, occurrit, ſi perforata ſcilicet in interiore parte fiſtula ſit: nam ſi foramen intus non habeat, non protinus occurrit digito, ſed per mediam carnem ſubeſſe ſentitur. Obliquæ & tortuoſæ ex eo deprehendũtur, quod inſtrumentum iniectum parum promouetur: pus tamen pro paruitatis ratione copioſum fertur. Quæ iuxta inteſtinum tendunt, animaduerti ex eo poſſunt, quod & lumbrici, & ſtercus per os quandoq; emittũt: atq; omnes ferè callum quendã circa os præ ſe ferunt. Illæ porrò quæ uel ueſicæ ceruicem perforarunt, uel ad articulum femoris, uel ad rectum inteſtinum perueniũt, ſanari nulla ratione poſſunt: quę uero occluſæ & abditæ ſunt, aut multiplices, aut in os terminãtes, ægre: reliquę facile, ut plurimũ, curationem admittunt. Quibus ſanè ita manuum opera ſuccurrimus: reſupinato homine ſic ut cruribus ſublatis femora ad uentrem cõtrahat, perinde atq; in alui ablutionibus fieri cõſueuit, ſi in ſumma cute terminare fiſtulã ſentiamus, ſpecillo per os ſubiecto ſimplici linea cutem deſuper incidimus: ſi profunde in anũ tendat, demittimus ſimili modo ſpecillum: ſiq; perforatã ab altero capite fiſtulam inuenerimus, alterius manus, quæ ſcilicet laboranti nati oppoſita eſt, indice per anum immiſſo ſpecilli caput apprehendimus, idq; paululum recuruantes educimus, tum ſimplici diuiſione quicquid ſupra ſpecillum eſt aperimus. Verũ ſi perforata nondũ fuerit, ſed intus in anum ferat,

& caput ſpecilli, dum exploramus, ſub ſquammea quadã, aut membranea cute digito indici occurrat, ita faciemus: ſpecillo uiolentius impulſo locũ perforabimus, traiectoq; eo per anum, ſcalpello eo quo dictũ eſt modo ſuper incidemus. Poſſumus etiam falculæ ad fiſtulas ſecandas accommodatæ mucrone ſinus fundum, quod eſt in ano perforare, eodemq; ipſo inſtrumento per anum traducto, totum id quod in medio eſt, falculæ acie deſecare: quod ubi factũ eſt, uulſella uel forcipe ad uuam apprehendendã idonea omnes circũiectæ partes (ſunt autem ferè calli) detrahẽdæ ſunt: ſummopere tamen cauendũ, ne ſphincter, id eſt cõſtrictorius muſculus offendat: nõnulli enim dum imperitius agũt, nimiſq; alte incidũt, ipſum uulnerarũt: atq; ex eo euenit, ut inuoluntaria ſtercoris deiectio ſequeretur. At uero ſi quis timiditate ſcalpelli operam recuſat, Hippocratica deligatione uti commode poteſt: præcipit enim Hippocrates linum crudum quinquies tortũ ſpecillo perforato inſertũ per fiſtulam tranſmittere, idq; innexis inter ſe capitibus deuincire: nodũq; quotidie aſtringere, quoad id quod inter duo ora ſuperiacet eo modo ſecetur, ac linum reddat. Quod ſi moretur hoc facere, linũ ipſum uel pſaro, uel tali aliquo arido illinendũ eſt, ac per fiſtulam ultro citroq; traducendũ. Sunt autem qui in foramen fiſtularię falculę linum conijciant, atq; eodem quo diximus modo traducant: id quod faciendũ minime eſſe crediderim: nam cum chirurgiam euitare uelint, non modo id non faciunt, uerũetiam longiorem curationem cõſequuntur. De occultis uero fiſtulis Leonides in hũc modũ inquit: Cum uero profunda fuerit fiſtula & ſphincterem forauerit, ſiue ab ano exorſa, ſiue etiam longius ab eo, modo ad ſphincterem deuenerit, exploratione facta ſedis laxatorio inſtrumento, hoc eſt parua dioptra anum, perinde atq; muliebrẽ ſinũ aperiemus: cumq; hoc modo fiſtulæ os apparuerit, ſpecilli capitulũ in ipſum coniectũ ad imum uſq; impellemus: ſupraq; ipſum ſemiſpathula aut fiſtularia ſphatula totã fiſtulã incidemus. Nos tamen cum huiuſcemodi affectionẽ nacti eſſemus, hoc chirurgiæ modo uti minime potuimus. Nam & fiſtulæ cuniculus cum eſſet inter anum & ſphincterẽ à dextra parte cõſtitutus, ſub aſpectũ uenire non poterat, & diductoriũ inſtrumentum operationi adumbrando potius officiebat. Sed cum digitis tamen ipſum anum dilataremus, fiſſura quędã nobis ſe obtulit in quadam ex rugis ani quaſi quædam fiſtulæ defluxio: pus enim per ipſam effluebat: tentauimuſq; per ipſam in fiſtulam ſpecilli capitulum demittere ab ipſa quaſi manu ducti: deinde dextræ manus digito ad ſphincterem immiſſo mediũ quoddam corpus tenue inter digitum & inſtrumentum ſubeſſe deprehendimus: unde ferro uiolentius ad digitum impulſo fiſtulæ fundũ in ſuperiorem partem uerſum perforauimus, extraq; educto ſpecilli capite totum id quod inter duo ora intercedens ſub aſpectũ noſtrum uenerat, hoc eſt ab eo quod à principio latens ſuberat, ad id quod per nos factũ fuit, ſcalpello incidimus, ſpecillumq; adduximus.

De hæmorrhoidibus capitibus uenarum ſanguinem fundentibus. *Cap.* LXXIX

CVm hæmorrhoidum ſignificatio ex ipſo, qui exinanitur humore manifeſta fuerit, antequam opus aggrediamur, multa uti ablutione debemus, quo & inteſtini excrementa euacuentur, & anus ad inciſionem & exitũ promptior efficiatur: deinde æger ſupinus ad lucidũ aërem collocandus eſt: ſiq; deligatione uti uolumus, lino quinquies torto ferramento, quo uel hæmorrhoidas, uel uuas adurere cõſueuimus, uenarum capitibus circũiecto ſingulas hæmorrhoidas aſtringimus, una tantummodo relicta, qua fieri redũdantis ſanguinis deriuatio poſſit. Ita enim præcipit Hippocrates, ubi aſtrictæ fuerint linteolum oleo madens ſuper dandum, deligatioq; ſedi accommodata exhibenda eſt: tum quieſcere æger debet, oleoq; tepido & aqua mulſa ad uentris curationem uti: poſtea imponimus cataplaſma ex papilionibus & croco: atque ubi exciderunt hæmorrhoides, uino cicatricẽ inducimus. Leonides uero deligationem nõ adhibet, ſed uulſella ad uuam accõmodata hæmorrhoidas aliquatenus attractas ſcalpello excidit. Poſt chirurgiam manna & amylo cum chalcitide, uel emplaſtro ex cremata ſpongia cum pice eas curat: ad quarũ perfectam aduſtionem fauſtino etiam paſtillo

uti

uti licet, quo alij uſi ſunt: uentriculis enim & cauitatibus ferramenti quo uua aduritur adurente medicamento repletis, hæmorrhoidas eodem quo uuam modo adurunt.

De condylomatis ſeu nodis & eminentijs & fiſſis. Cap. LXXX

ANi condyloma ab ijs quæ in muliebribus naturalibus naſcūtur, nulla alia re niſi loco tantū differt: ſiquidem etiam ipſum rugoſa quædam extuberatio & ex inflammatione, uel rima præcedente exorta: quæ quidē prius eminentia, deinde ubi occalluit, nodus ſeu cōdyloma appellatur. Hoc igitur eodem modo, quo illud curandum eſt: uulſella apprehenſum exciditur, deinde cruſtam inducentibus curatur. Fiſſa uero quæ ex duritie excrementi præcipue fiunt, cum in inducenda cicatrice, eo quod occalleſcunt, morantur, uel unguibus, uel ſcalpello refricāda atq; exulceranda ſunt, atq; ita commode ad cicatricem perducenda.

De ano imperuio. Cap. LXXXI

IN infantibus anus imperuius ab ortu proculdubio eſt cum inuenit̃, & ex membranæ obductione obſtruitur. In quibus, digitis ſi fieri poteſt membrana ipſa rumpēda eſt. Si minus poteſt, ſcalpelli acie aperiri, ac uino curari debet. Verum quia etiam adultis ſępenumero accidit, ut ex mala ulceris curatione anus conglutinetur, horum etiam curatio tradenda eſt: inſtrumento ad id apto cohærentiā abrumpimus: deinde accommodata curatione utimur. Fiſtula tamen plumbea, uel cuneolus per totum curationis tempus in ano inſertus, ne rurſus coēat, cōtinendus eſt, qui prius ex ijs quæ cicatricem inducunt, medicamentis illitus fuerit.

De uaricum ſectione. Cap. LXXXII

VArix dilatatio uenæ eſt, quæ interdū in temporibus, interdum in uentre ſub umbilico, quādoq; circa teſtes, præcipue uero in cruribus euenit: atq; ut plurimum à melancholica materia ortum habet. Earū igitur quę in teſtibus ſunt curationum iam tradidimus, cum de uaricoſo ramice ageremus. Iis uero quę in cruribus eueniunt, ſimili modo manus ſunt adhibendę, ab interiori ſcilicet femoris parte, ubi exortus earū plerunq; inuenitur: inferius enim in plures diſciſſæ ramulos ac diſperſæ difficilem tractationem exhibent. Hominē igitur prius lotum in ſuperiore femoris parte uinculo deligamus, iubemusq; incedere, uenamq; ita repletam atramento ſutorio, uel collyrio notabimus, ſecundū eius ſitum ternis interpoſitis per longitudinem digitis, aut paulò amplius. Deinde reclinato homine cruſq; ipſum extendēte alterū paululum ſupra genu uinculū inijcimus: tumefactamq; in faſtigiū uenam ſupra notationē leuiter ſecamus, ſic ut cutis ſola incidatur: poſtea hamis plagæ oris reductis herniarijs ſpecillis flexilibus membranulas diducimus, ac uenā undiq; nudamus atq; explicamus: tum femoris deligationibus ſolutis, uenaq; ipſa retuſo hamo ſuſpenſa acum ſubter duplici lino ſequente tranſmittimus, liniq; ſinum incidimus, ſic ut duo efficiantur: tum uena phlebotomo per mediū diſſecta, ac quanto opus eſt ſanguine euacuato, altero lino ſuperiorem uenæ partem aſtringimus, crureq; erecto diligentem manibus expreſſionē adhibemus, quo ſanguis qui in crure eſt, exinaniatur: quod ubi factum eſt, uenam ab altera parte lino altero deligamus: partē uero illam uenæ, quæ inter duo uincula eſt, uel ſtatim excidimus, uel relinquimus, quoad putrefacta ſponte unà cum uinculis cadat: nam ſicca linamenta inſerēda in plagam ſunt, ſpleniumq; aqua cui oleum quis adiecerit, madens ſuper imponendum ac deligandū: tum linamentis pus mouente aliquo medicamento imbutis curatio proſequenda. Neque tamen me latet aliquos eſſe ex ueteribus, qui uincula minime adhibent, ſed uenam uel ſtatim ubi à carne abſoluta eſt excidunt, uel ab imo etiam adhærentē uiolenter extrahendo abrumpunt: ſed tutior eſt hic à me poſitus chirurgiæ modus. Varices etiam in uentre oriuntur, quibus ſimiliter adhibenda curatio eſt. Illę item quæ in temporibus exiſtūt, ea ratione quam in exemptione uenarum diximus, tolluntur.

De dracunculis. Cap. LXXXIII

DE dracũculis quippe qui maximũ in medicamentis præſidium habeant, in quarto libro ſatis à nobis tractatum eſt.

De extremarum partium amputatione. Cap. LXXXIIII

EXtremæ partes aliquando putrefiũt, puta manus, aut pes, ſic ut ipſa etiã oſſa corrupta ſiue ex inchoante cauſa, quam primitiuam dicunt, fracta ſint, ſiue ex præcedente putrefacta, abſciſſionem requirãt. Sed priuſquã deſecentur oſſa, carnes circũiectas incidere neceſſe eſt: quod cum fit, quia longior in ſerrando poſtea mora protrahitur, timendum ne periculoſa ſanguinis profuſio ſequatur. Idcirco bene Leonides non totam carnem niſi penitus putrefacta eſſet, atq; emortua incidebat: ſed eam tantũ partem ubi non multas, neq; magnas eſſe uenas, aut arterias opinabatur: prius celeriter ad os uſq; aperiebat: deinde os ipſum quamcelerrime etiã poterat, ſerrabat, linteo panniculo plagæ oris ſuperpoſito, ne ſerra per ipſas ducta ac reducta dolorem crearet. Poſtea reliquo executo ferramentis candentibus uaſa adurebat: ac tum ita, tum linamentis coniectis ſanguinis eruptione repreſſa apta deligatione utebatᷓ: puſq; mouentibus medicamentis curabat.

De pterygijs ſeu pinnulis circa ungues. Cap. LXXXV

PInnula circa ungues eſt excreſcentia carnis quæ partem unguis operit, tam in pedis, quàm in manus pollicibus præcipue eueniens: ſed in pedibus plerunq; ex offenſione, in manibus ex paronychijs oritur: cum neglectum malum inflammatur, atque in pus conuertitur: pus uero cum inueterauit radicem unguis exeſt, ipſumq; corrumpit, ac totum unguem ſæpe, mediam tamen eius partem plerunq; conſumit, ad radicem particulam quandã putrefactam, quãdoq; totam radicem irroſam relinquens: os etiam ipſum interdum uitiat: quo in caſu graueolentia ſentitur, & digitus in ſummo expanſus, ac liuidus cernitur. Hi in hunc modũ curandi ſunt: tota unguis reliqua pars ſcalpelli acie ſubſecanda atq; eximenda eſt: deinde cauterijs exulceratio adurenda: pinnula enim ex genere depaſcentiũ eſt, quæ niſi igni cohibeatᷓ ſerpere non deſiſtit: quinetiam ſi neglecta fuerit, totum digitum corrumpit. At ſi & oſſe & ungue integris permanentibus exterior unguis angulus carnem ſubiens, partem eam pungat ac ſtimulet, ſic ut inflammationis cauſa efficiatur: debemus particulam illam unguis, quę uexat tenui ſpecillo ſubiecto, aut tali aliquo inſtrumento ſuſpendere, ac ſcalpelli acie præſecare, quodq; ex ea adhuc extat adurente medicamento abſumere. Atq; hoc quidem chirurgię modo pleriq; liberati ſunt. Quod ſi maius ſit quod extat, prius id ſcalpello circũcidi, deinde imponi medicamentum debet.

De unguibus colliſis. Cap. LXXXVI

QVoniam ſæpenumero unguibus ex cõtuſione colliſis magni dolores cõſequuntur, qui nos ad ſcalpelli operam compellunt, ſatis erit ſi Galeni uerba appoſuerimus: ſic enim ille inquit: In contuſis unguibus dolorem planè ſedans auxilium experti ſumus, ſanguinẽ euacuando. Cum utiq; pulſus crebri, doloresq; uehemẽtiſſimi accidunt, unguis nõ recta à ſuperiori parte ad infimam, ſed obliqua linea incidendus eſt, ſic ut eius reſecta quędam pars ſanguine euacuato non amplius pars unguis, ſed quaſi operculum quoddam ſubiectæ carnis ſit: nam ſi in rectũ ſeces à ſuperiori parte deorſum ad radicem, qua caro ungui ſupercreſcit, efficitur, ut ſubiecta ungui caro per diuiſionem illam excreſcat, atq; ita cum ab ungue comprimatur magnos dolores, quemadmodum in paronychijs pariat. Sed hac noſtra inciſione omnem prorſus dolorem ſedari uidebis. Poſſumus etiã ſequentibus diebus ſucciſam illam unguis particulam ſenſim ſubleuare, ac ſanie ab ungue effuſa rurſus quaſi operculum quoddã, ut dixi, ſubiectæ carni reponere: reliqua præterea totius digiti tam mitigando, quàm diſcutiendo curatione interim utendum eſt.

De clauis, & formicis, & uerrucis. Cap. LXXXVII

CLauus callus eſt rotũdus, albus, claui capitulo perquam ſimilis: qui in omni quidem parte corporis, ſed pręcipue in plantis, & digitis pedũ concreſcit, doloremq; affert, & incedendi functionẽ impedit. Tolli hoc modo poteſt: circũcirca ſcarificandus eſt: tum uulſella apprehenſus acutiſſimo ſcalpello, ut phlebotomo ſuccidi à radicibus, atq; eximi debet: quidam etiam ne renaſcatur, ignita ferramenta admouent. Formicatio ſeu formica extuberatio quædam eſt in ſumma cute parua, calloſa, rotunda ac craſſa, latiſſimis radicibus inhęrens, quæ in perfrictionibus punctionum quarundam morſionibus formicæ ſimiliũ ſenſum exhibet. Atq; etiam ipſa licet in reliquo corpore exoriatur, plerunq; tamen in manibus cernitur. Nõnulli igitur, inter quos eſt etiam Galenus, fiſtula duræ alicuius pinnæ, cuiuſmodi ſunt aut ueterum gallorum, aut anſerum, aut aquilarũ, circumcirca fortiter impreſſa ac circũtorta ſcarificandam formicam cenſent, atq; ita ab imis radicibus detrahendã: alij ænea, aut ferrea fiſtula hoc idem faciũt. At recentioribus magis placuit circunpurgatas formicas, atq; inde uulſella attractas ſcalpello perinde ac clauos excidere. Verruca uero tuberculum eſt quoddã paruũ in ſumma cute abſq; dolore calloſum, rotundũ ut plurimum, ad cutem anguſtũ, ut pendere uideatur: unde acrochordon græco uocabulo appellatũ fuit, quod chordæ ſummitati ſimile ſit. Attracta igitur huius eminentia excidimus: ſin minus, lino aut capillo aſtringimus. Non ignoro tamen multos eſſe, qui tam hæc quàm ſupradicta omnia tubercula eo, quod appellatur frigidum cauterium, abſumere conſueuerint.

De extractione telorum. Cap. LXXXVIII

EAm chirurgiæ partem, quę in extrahendis telis uerſatur, maxime neceſſariũ eſſe, uel poëta Homerus his uerſibus teſtatur:

Nanq; alijs multis eſt æquiparabilis unus
Vir medicus, qui infixa perite excidere tela,
Vulneribusq; ſuper dare mitia pharmaca nouit.

Prius tamen quàm de hac re dicamus, de ipſorum telorum differentia pauca quædam exponenda ſunt. Tela igitur inter ſe differunt, materia, forma, magnitudine, numero, modo, ac ui. Materia, quoniam tum quæ uocantur haſtilia, alia linea, alia harundinea ſunt: tum ipſa tela uel ferrea, uel ænea, uel ſtannea, uel plũbea, uel cornea, uitrea quandoq;, aut oſſea, quinetiam harundinea, aut lignea conſpiciuntur: atq; hæc quidem tanta in materia differentia præcipue apud Aegyptios inuenitur. Forma etiam uaria eſt, ſiquidem alia teretia, alia angulata, ut ſunt triangula: quædã cuſpidata & canaliculata, qualia ſunt quę ferrũ tricuſpide, hoc eſt tribus ex partibus acie præditũ habent. Nonnulla item ſunt ſpiculata, nonnulla ſpiculis carent: atq; ex ſpiculatis, alia retro uergentibus ſpiculis munita ſunt, ut in extractione infigantur: alia deorſum ſpectantibus, ut in impulſione & ictu idem faciant. Sunt etiam quędam quibus utroqueuerſum fulminum in modum ſpicula extant, ut & dum extrahuntur, & dum intrudũtur, corpus lanient. Sunt item quibus ferrum uerticulis quibuſdam ita mouetur, ut ſpicula in impulſione contracta in extractione explicentur, atq; ita impediant, quo minus telum educi ſine magno periculo poſſit. Magnitudo quoq; diuerſitatem affert, cum alia trium digitorũ longitudinẽ impleant, alia unius nõ excedant, quæ myita in Aegypto appellant: alia media inter hæc inueniantur. Numerus etiã in his cõſideratur: quędã enim ſimplicia ſunt, quædam compoſita: quippe cum nõnullis tenuia quædam ferrea fruſtula innexa ſint, quæ cum in extractione facile lateant, in imo relinquuntur. Iam uero modus & habitudo is eſt, quod alia ferrum haſtilibus infixum, alia haſtile in ferri tubulum inſertum habent: atq; hoc alia firmiter, alia negligentius, ut dum euelluntur relictum intus remaneat. In ui demũ & facultate ea eſt differẽtia, quatenus alia uenenata ſunt, alia minime. Atq; hæ quidem telorum differentiæ habentur. Nobis uero iam ad extractionem ipſorum deſcendendum eſt, ſiue in bello, ſiue extra bellum, ſiue ſponte, ſiue inuitus, quacunque de cauſa, aut qualibet ex materia factis telis uulneratus aliquis fue

rit. Extrahendorum igitur telorum à carne duplex modus:per attractionem unus,alter per protruſionem. Nam ſi in ſummo telum inſedit,per attractionem retro recipiendum eſt. Simili modo etiam fit aliquando etiamſi altius infixum ſit,cum ſcilicet ſi ex oppoſita parte corpus aperiatur, uel ex ſanguinis profuſione, uel ex aliorum membrorum cõſenſu periculum imminet. Protruſione uero uti conſueuimus, cum & alte inhæſit telum, & parum admodum integræ carnis ex aduerſa parte ſupereſt: nihil præterea,neque neruus, neq; os, aut tale quippiam obſtat,quo minus contra mucronem incidi commode poſſit. At ex oſſibus uulneratis tela eximere, non niſi attrahendo tutum eſt. Si igitur telum in conſpectu ſit,ſic ut ſe habet protinus extrahendum eſt. Si lateat,ita faciendũ Hippocrates præcipit:Corpus uulnerati,ſi tamen ipſe poterit,in eum ſtatũ figurare debemus, quo erat eo tempore quo uulnus accepit,atq; ita quo tetenderit telum notare:ſi æger id non poteſt,iacens ſaltem ita debet collocari,ut quãproxime fieri poteſt ad eam figurã accedat:tum nos ſpecillo exploratione facta,ſi carni inhęreat telum,id uel digitis,uel additamẽto,quod etiã haſtile nuncupant,quod ligneũ plerũq; eſſe conſueuit,extrahemus,niſi iam deciderit: nam ſi iam illud decidit,forcipe,qua uel ad dentes, uel ad radices eorũ euellendas utimur, aut telorum extractorio, uel alio ad id accõmodato inſtrumento eductio molienda eſt. Qua in re plaga interdum,ſi inſtrumentum non admiſerit,amplianda eſt. Quod ſi ulterius tetenderit telum , neq; poſſit ab ea parte qua uenit,facile eximi,ſcalpello ab aduerſa parte aperiẽda uia eſt, eaq; educendum,quod fiet ſiue attrahendo, quo dictum eſt modo, ſiue protrudendo. Protrudi autem uel haſtili ipſo, ſi inhæreat, uel ſi exciderit propulſorio inſtrumento demiſſo debet: ſumma cura ſemper habita,ne uel neruus,uel uena,uel arteria,uel tale aliquid precipuum incidatur:turpe enim eſt ſi in extrahendis telis maiorem noxam, quàm tela ipſa effecerint,exhibeamus. Si ferrũ erit caudatum,id quod ſpecilli exploratione cognoſcitur,propulſorij inſtrumenti fœminã, ſi tubulum habebit, marem demittemus: atq; ita ferrũ inſerto inſtrumento protrudemus,quoad educi facilime poſſit. Si exemptum ferrum crenas quaſdam habere conſpexerimus, in quibus inſertum eſſe tenue aliquod aliud ferrũ potuerit,ſpecillo rurſus immiſſo explorabimus:ac ſi quid fuerit inuentũ,ſimili ratione recipiemus. Quod ſi telum ſpiculis utroqueuerſum ſpectantibus cinctum in neutram partem ſequatur, iuxta ipſum alia inciſione patefaciendus locus eſt,niſi uena, aut tale aliquid impediat:atq; inde ferrum undequaque explicatum ſine ulla uulſione tollendũ eſt. Quidam etiam ſpicula fixis calamis prius contegunt nequid lacerent, deinde ita euellunt. Vbi telum his rationibus fuerit extractum, uulnus ſi inflammatione caruerit,ſuturis adhibitis, impoſitoq; medicamẽto, quod cruentis ſtatim uulneribus inijci conſueuit, curãdum eſt: ſi inflãmatio aliqua adſit, ad eam finiendam inſuccatæ lanæ, & cataplaſmata ſuperdanda. At ſi plaga uenenato telo facta fuerit, totam ſi fieri poterit, immutatam à ueneno carnem circũcidemus: ea facile cognoſci poteſt, ſiquidem à ſana carne longe diuerſa eſt, cum pallida ſupra modum, ac ſubliuida, & quaſi emortua appareat. Ferunt autem Dacas & Dalmatas helenio, & eo,quod ninum uocatur,ſpicula illinire: quæ quidem cum ſanguine in uulnere commixta uenenata ſint,atq; interimant:guſtata uero etiam ab ipſis nullum nocumentum afferãt. At uero ſi in oſſe infixũ fuerit telum,ſpecillo ſimili modo tentabimus: & ſi caro impediat, ipſam uel excidemus,uel diducemus. Quod ſi altius deſederit,id quod ex eo cognoſci poteſt, quod infixum telum, etiamſi uim afferamus, minime labat: ſi igitur ita ſit,oſſis partem circũiectam ſcalpris comminuemus,prius tamen & pręcipue ſi craſſum os fuerit,circumcirca terebrato loco:atq; ita telum abſolutum educemus: ſi uero aliquod ex principalibus membris ictum ſit,quale eſt cerebrũ, cor,guttur, pulmo, iecur, uenter, inteſtina,renes,uulua,aut ueſica,ſicq; mortalia indicia iam extent,neq; ſine magna uulſione fieri queat extractio,manus adhibere recuſabimus: ne præterq; quod nihil proficiemus maledicendi, ac uituperandi officij noſtri imperitis occaſionem exhibeamus. Quod ſi euentus incertus tunc ſit,quantum periculum res habeat prædicendum,atq; ita poſtea ad extractionem accedendum eſt:multis enim accidit, ut abſceſſu in aliquo

ex ijs neceſſarijs membris exorto ſalutem inopinato cõſequuti ſint: quando etiam iecoris fibra, aut aliqua omenti, uel abdominis mẽbranæ pars, quinetiã tota uulua ſæpenumero detracta fuiſſe ſine ullo mortis periculo perhibetur. Guttur uero ſæpe etiam dedita opera in anginis incidendũ eſt: ut de gutturis ſectione iam diximus. Si igitur in huiuſcemodi caſibus telũ intus relinquamus: ut omittam quod noſtra hæc ars ab omni humanitate aliena exiſtimabitur: mors quoque ſine ulla dubitatione ſequatur neceſſe eſt: ſi eximamus, fortaſſe etiam ſalutem præſtiterimus. Principalium membrorũ uulnerationem dignoſcere difficile non eſt: nam tum ex accidentium, aut eorum quæ excernuntur quadam proprietate, tum ex loci ipſius affecti ſitu hæ notæ habentur. Vulneratis cerebri membranis dolor capitis ualidus, oculorum incenſio cum linguæ rubore, & mentis alienatione eſt. Quod ſi unà cum ipſis cerebrum quoq; ictum ſit, homo ſubitò decidit, obmuteſcit, faciẽ diſtorquet: tum bilis uomitus, ſanguiniſq; per nares & aures effuſio inſequitur: albus etiam quidã humor, & pultaceus, ſi aditum habuerit, per uulnus exit. Si in uacuas thoracis partes impactũ ſit telũ, et pateat foramen, ſpiritus per id efflari ſentitur. Corde uulnerato iuxta ſiniſteriorem mammam telum non uacuo loco, ſed quaſi altero quodam corpore exceptum apparet: atq; interdum pulſatilem motionem præ ſe fert. Sanguis niger per plagam, ſi detur exitus, fluit: extremæ partes frigeſcunt: ſudor & animi defectus accidunt, ac demum matura mors ſequitur. Pulmonis percuſſi ſigna hæc ſunt, ſanguis ſpumans per uulnus fertur, ſi latum ſit: ſin minus, per os euomitur: uenæ circa collum intumeſcunt, lingua colorem immutatum habet, multum inſpirant, frigidi appetentes. Vbi ſeptum tranſuerſum uulnus accepit, telum ad nothas coſtas infixũ cernitur: inſpiratio magna & cum dolore & gemitu fit per totum ſpacium quod inter duos humeros continetur. Ventre icto quid læſum intus ſit, ex ijs quæ per uulnus redduntur cognoſcimus: uel tunc ſtatim, ſi pateat aditus, uel ſaltem ubi aut extractũ telum, aut fractum intus haſtile uacuam plagam exhibuerit. Ex uentre enim ſuccus, ex inteſtinis ſtercus egreditur: interdum etiam omentum, aut inteſtinũ in uulnus prolabitur. Vbi autem ueſica percuſſa eſt, ex ipſo uulnere urina deſcendit. In cerebri igitur, aut membranarũ eius uulneratione caluaria circumcirca terebrata telum educimus, quemadmodũ in capitis fracturis mox dicemus. Cum thorax uero uulneratus eſt, niſi per intercoſtij moderatam inciſionem ſequatur, uel una ſubiecto membranæ cuſtode inſtrumento excidenda coſta eſt, eaq; telum educendum. Simili modo in uentre, & ueſica, & reliquis, quæ in imo ſunt membris, ſi telum ſequitur, nulla alia cura adhibita extrahi, ſin minus, ampliari plaga, et ſicut uulnera curari debet: quanquam in uentre, ſi opus ſit, adhiberi conſutio etiam, de qua ſupra dictum eſt, poteſt. At cum in aliquo magno uaſe, puta in intimis iugularibus, aut ſoporarijs, aut ijs quæ ſunt ſub alis, aut inguinibus, magnis arterijs infixum telum, periculum, ſi extrahatur, ſanguinis profuſionis minetur, priuſquã id fiat, uaſa ex utraq; parte uinculis aſtringenda ſunt. Si uero membrum aliquod traiectum telo alteri affigatur, uerbi cauſa, brachiũ thoraci, aut cubitus alicui alteri corporis parti, aut crura inter ſe, hoc modo faciendum eſt. Si nõ per totum utrũq; membrũ penetret ſagitta, aut haſta, eam ab exteriore parte, perinde atq; in uno fieri conſueuit apprehenſam extrahemus. Si penitus utraq; transfixa membra fuerint, mediũ lignum prius ſerra in duas partes deſecabimus, deinde eas partes quamfacilimo fieri poterit modo, ſigillatim euellemus. Quoniam uero etiam lapides ſæpe, & murices, & plumbeæ glandes, atq; id genus quædam fundis eiaculata, tum ex iaculantis ui, tum ex angulis quibus prædita ſunt, in corpus intrudũtur ac latent, ad ea cognoſcenda his notis ducemur. Si contrectemus, aſper atq; inæqualis tumor ſubeſſe ſentitur: plaga non prorſus recta, ſed etiam maior: caro item contuſa ac liuida cernitur: dolor præterea cum grauitate quadam infeſtat: omnia hæc uncis, aut calyculis, aut uulnerario ſpecillo protrahenda ac recipienda ſunt: eximi quãdoq; forcipe dentaria poſſunt, ſi eam uulnus admiſerit. Interdũ uero fit, id quod multis contigit, ut cum infixa tela lateant, ſic ut reperiri nullo modo poſſint, ſanentur uulnera: deinde tamen multo poſt tempore abſceſſu circa eum locum facto, ac rupto, telum exiliat.

De fracturis, & quæ ipſarum ſint differentiæ. Cap. LXXXIX

ORdo iam poſtulat, ut quoniã ſatis docuimus de ijs quæ in carne manus operam requirunt, de alijs quæ oſſibus accidunt, hoc eſt fracturis, & luxationibus diſſeramus: quippe cum etiam hæc chirurgię generi ſubijciantur. Prius autem de fracturis dicendum uidetur, atque ab ijs incipiendum præcipue quæ in capite accidunt: partim quia media hæc inter eam quæ in carne, & eam quæ in oſſibus fit, adminiſtratio chirurgię eſt, partim uero quia ipſa caluaria omnes alias partes ſupereminet. Fractura igitur, ut in uniuerſum loquamur, oſſis diuiſio, uel ruptio, uel diſciſſio eſt ab aliqua extranea uiolentia effecta. Cuius plures ſunt ſpecies, alia ſiquidẽ raphanatim, alia ſcandulatim, unguatim alia, alia farinatim, quædã etiam per abruptionẽ facta dicitur. Raphanatim facta eſt ruptio oſſis per tranſuerſum, quam etiam nõnulli cucumeratim, & caulatim à fractorũ cucumerũ & cauliũ ſimilitudine appellant. Scandulatim eſt ruptio oſſis in longitudinẽ ſciſſi. Vnguatim eſt ruptio oſſis, quæ cũ aliqua in parte recta ſit, in fine tamen lunaris euadit: quæ etiam harundinatim ab aliquibus nũcupatur. Farinatim eſt ruptio oſſis multiplex in minutas partes, nucatim etiam dicta. Abruptio uel abſciſſio eſt partis alicuius oſſis detractio per abruptionẽ ſuperficiei, ſic ut pars quæ detracta eſt, & receſſit ſupernatet. Atq; hæ fracturarum ſpecies ſunt.

De fracturis in capite. Cap. XC

PRiuatim uero in capite fractura eſt caluarię diuiſio interdũ ſimplex, interdũ multiplex ab extranea uiolentia inducta: cuius hæ ſunt differentiæ: fiſſio, exciſio, expreſſio, deſeſſio, cameratio, & in infantibus colliſio. Fiſſio eſt diuiſio caluarię uel in ſummo, uel etiam alte: non tamen ſic ut ad exteriorem partem oſſis commotio aliqua exiſtat. Exciſio eſt diuiſio caluarię cum refractione. Quod ſi refracta pars à reliquo oſſe ex toto receſſerit, dedolatio à nõnullis appellatur. Expreſſio eſt multiplex oſſis diuiſio, in qua fragmenta quędam deorſum delapſa, cerebri membranam premunt. Deſeſſio eſt caluariæ diuiſio, ubi os offenſum deorſum à naturali ſitu deſidit, ac membranam cerebri urget. Cameratio eſt diuiſio caluariæ, in qua partes oſſis fracti eleuatæ incuruantur: ſeu, ut inquit Galenus, ad interiora ſubſidunt, & concauitates faciunt, id quod eſt expreſſioni non diſſimile: ita enim ille exiſtimat. Quidam his addunt etiam capillationem: ſed capillatio eſt tenuiſſima fiſſio, quæ cum ſenſum fugiat, eam ob cauſam ſæpenumero latet: neque enim certam aliquam ſignificationem exhibet, & mortis cauſam affert. Colliſio uero, quippe quæ oſſis diuiſio minime ſit, meritò neque fractura dici debet, ſed impulſio, & quaſi inflexio in interiorem partem caluariæ, quæ ſine ulla continuitatis diſſolutione concauitatem facit: perinde atq; in æneis, & coriaceis uaſculis, ſi foris percutiatur, uidere licet. Duæ ſunt colliſionis ſpecies: os enim uel per totam craſſitudinem ſuam colliditur, ſic ut ſępe membrana cerebri recedat, aut certe cõprimatur à caluaria: uel non ex toto, ſed extrinſecus tantũ in denſa ſuperficie uſq; ad duplicationem id patitur. Adiũgitur his à nonnullis repercuſſio ſeu reſonatio: quæ eſt, ſicut ipſi dicunt, caluariæ à contraria ictus parte facta diſciſſio: ſed falluntur: neq; enim ſicut in uitreis uaſculis, ita in capite, ut iſti uolunt, fieri ueriſimile eſt: illis enim quia uacua ſunt, id euenit: at caluaria & plena eſt & alioqui ſolida: nam cum fortè euenit, ut multis alijs in locis, nõ ibi tantũ qua plaga apparet, ut cadendo fit, caput ictũ fuerit, & alicubi integra cutis cõtinuitate os ſiderit, ibiq; poſtea abſceſſu facto atq; aperto fiſſio in conſpectũ uenerit, opinantur à contraria ictus parte eam extitiſſe: quod falſum eſt: ipſa tamen hæc fiſſio eandẽ quam prior curationẽ admittit. An igitur fractũ fuerit caput perſpicuum eſſe poterit, tum ex eius quod ictum fecit acumine, grauitate, duritie, & uiolento impetu, tum ex ijs quæ uulnerato homini accidũt: nam uel occæcat, uel obmuteſcit, uel repente cõcidit: pręcipue cũ uel deſeſſione, uel colliſione, uel expreſſione, uel in interiorem partẽ cameratione facta cerebrũ cõprimitur. Præterea ſenſui expoſita notatiõe id licet percipere: nam ſi cutis plaga latior fuerit, per ipſam inſpicere manifeſte poſſumus, ſi uel nulla, uel anguſta quædã diuiſio ſit, fractumq; eſſe os ſuſpicemur, aperienda cutis eſt, & partim uiſu, partim ſpecillo demiſſo explorandũ eſt. Si aliqua alia fractura eſt

ſtatim

ſtatim deprehenditur. Fiſſio uero tenuis ac capillaris, quia ſenſum latet, ita inueſtigāda eſt: inducendum ſuper os medicametum aliquod nigrum quod liquidū ſit, uel ſcriptorium etiam atramentum, deinde ſcalpro id deradendū: nigritiem enim continet, quod fiſſum eſt: quod ſi apparet, tantiſper in deraſione inſiſtendū eſt, quoad rimæ ueſtigium penitus euaneſcat. Si uſꝗ ad cerebri membranam deſcendat rima, raſura omiſſa, num quid receſſerit ab oſſe membrana, an maneat adhuc annexa cōſiderandū eſt. Manere adhuc his notis cognoſcimus: mediocris inflammatio uulnus infeſtat: æger febri paulatim deſtituitur: pus maturum apparet: ſi receſſerit, & dolor, & febris augetur: os colorem immutat: pus præterea tenue, & incoctum fertur. Et ſi negligat medicus, neꝗ ſtatim perforatione utatur, grauiora his multo ſubſequuntur: bilis uomitus, conuulſio, delirium, & acuta febris, quibus in caſibus recuſanda chirurgia eſt. Verū cum hęc non affuerint, neꝗ receſſerit membrana, ſed rima tantum ſit, uel ſolo raſorio ſcalpro curari etiam ſi profunda ſit, poteſt. Si ad duplicationem tantum deſcendat, eouſꝗ etiam rademus: ſi rarefactum os ſit, id detrahemus, ut poſtea docebimus. Si in minutas partes contritū fuerit, eas omnes ſimili modo accurate idoneo ad id inſtrumento eximemus. At ſi receſſerit mēbrana, & ſtatim à principio in manus tuas uenerit uulneratus, ſummo ſtudio curabis, ut ante quartumdecimum diem, ſi hyems ſit, ſi ęſtas, ante ſeptimum os omnino detrahas, anteꝗ ſupradicta illa accidentia eueniāt. In hunc modū autem tibi faciendū eſt: Deraſis prius capillis ſupra uulnus duabus lineis cutem incides, ad rectos angulos mutuò ſe ad ſimilitudinē X literæ per tranſuerſum ſecantibus, quarū tamen altera eſſe debet ea quā acceperis: deinde in uertice quatuor angulos ſubſecabis, ut totum os quod terebratū eſt, nudatum appareat: linamentisꝗ, ſi ſanguis fertur, poſca imbutis, ſin minus ſiccis inſertis, ac linteolo uino cui oleum adiectū ſit madente ſuper impoſito apta deligatione uteris. Poſtero die, modò noui aliquid nō accidat, quod impedimēto ſit, terebratio ipſa oſſis aggredicēda eſt. In ſedili igitur uel lecto apte, prout uulnus poſtulabit, collocato homine, auribusꝗ eius ne pulſationis ſonitu moleſtent̄, lana obturatis, caput reſoluendū eſt, exemptisꝗ omnibus linamētis, ac ſpongia deterſo loco duobus miniſtris iubendū, ut faſciolis quibuſdam tenuibus circūiectis quatuor cutis angulos attollant, osꝗ ita aperiāt: tum ſi os ipſum uel natura, uel ex fractione infirmum fuerit, oppoſitis ſcalpris excidi debet, adhibitis prius calyculatis, atꝗ ijs latioribus, à principio ad anguſtiores tranſitu ſubinde facto: deinde exciſorijs leuiter malleolo adactis, ne nimia diſcuſſione capitis æger uexetur. Si uero ualidum os ſit, perforandum prius eſt eo terebræ genere, quod indemerſile idcirco appellant, quia paululum ſupra mucronem eminentias quaſdā habet, quibus deſcēdere ac demergi in membranam facile prohibetur: poſtea ſcalprorū exciſio adhibenda eſt, atꝗ os non totū ſimul, ſed particulatim digitis, ſi id fieri poteſt, ſin minus, dentaria, aut oſſaria forcipe, uel capillaria etiam uulſella, uel huiuſmodi aliquo idoneo inſtrumento eximendū eſt: tantum autem inter foramina ſeptum relinqui debet, quāta eſt capituli ſpecilli uel maximi longitudo: cauarū altitudo eouſꝗ deſcēdat, quoad interiorem oſſis ſuperficiem proxime accedat. Summopere enim cauendū eſt, ne terebra membranā attingat: multæꝗ eam ob cauſam erunt præparandę, eaꝗ ſumenda quæ ad oſſis craſſitudinē accōmodata ſit: nam ſi duplicitatē caluariæ fractura nō exceſſerit, eouſꝗ etiam tantum terebra erit adigenda: poſteaꝗ uero ita os exemptū fuerit, aſperitatē caluariæ quæ ex exciſione facta eſt ſcalpro aliquo uel raſorio, uel exciſorio, ſubiecta tamē lamina mēbranę cuſtode leuigabimus: tum oſſiculis, aut aculeis, ſi qui remāſerint, diligenter collectis linamēta imponemus, atꝗ ita deinceps curabimus. Atꝗ hic cōmunis ſimul, ac facilis, ſineꝗ ullo periculo curādi modus eſt. Maxime etiā à Galeno laudat̄ illa quæ lēticulato ſcalpro fit exciſio, ſi abſꝗ terebratione, ubi circūcirca calyculatis cauatus tantū locus fuerit, adhibeat̄. Ita enim inquit: Vbi uero ſemel partē illā denudaueris, inijciēdus ſcalper eſt, ꝗ in ſummo capite lenticularē eminentiā retuſam, ac leuē, à latere uero aciem habeat: atꝗ ita lata lenticulæ parte ſupra mēbranā firmata malleolo in latus adigēdus eſt. Sicꝗ caluaria diuidēda: hoc enim modo omnia quę uolumus euenire cōſueuerūt. Nam & mēbrana

etiam ſi dormitet medicus, uulnerari nullo modo poteſt, cum ſola lata lenticulæ parte attingatur: & ſi qua oſſi adhæret, ſine ulla moleſtia reſoluitur orbiculari lentis extremitate, quam ueluti præuiam caluariam excidens ſcalper ſtatim ſubſequitur, ut neq; tutiorem, neq; celeriorem hoc terebrandi modum liceat inuenire: nam ferris & modiolis id agere à recentioribus reprobatū eſt. Atq; hęc licet ut de fiſſione tradiderimus, tamen in reliquis etiam caluariæ fracturis nihilominus cōueniunt. Quantum uero oſſis excidendum ſit, idem quoq; Galenus nos docebit, ita inquiens: Qūantū autem ex offenſo oſſe excidendum ſit, deinceps tibi explicabo. Quod ualide contritum eſt, totum eximi debet: ſi uero ab ipſo aliquæ ulterius rimæ proceſſerint, quemadmodū interdū accidere conſueuit, nō erunt eæ uſq; ad finem perſequendæ: nam ſi reliqua recte fuerint administrata, ſcire licet nullam ex ijs noxam euenturā eſſe. Poſt chirurgiam linteolo ſimplici ad uulneris magnitudinem accōmodato roſaceo imbuto membranam operculabimus, ſupraq; id paruum floccū lanæ roſaceo ſimiliter madentem imponemus: deinde duplex linteū aqua & oleo, uel eodem etiam roſacco irrigatū toti uulneri ſuperdabimus: illud tamen diligenter obſeruantes, ne membrana nimium grauetur. Poſt hæc lata deligatione, neq; ea multum aſtricta utendum eſt: poſtea linamenta tantum ſeruabimus, uictumq; inflammationem ſedantem, & febrientibus accommodatum exhibebimus: ſubinde roſaceo membrana madefacta. Poſt tertiū diem reſolutis faſcijs ac ſpongijs deterſo uulnere medicamētis, quæ recentibus uulneribus idonea ſunt, inflammationemq; prohibent, utendum eſt: aliquidq; membranæ imponendū ex ijs aridis, quæ cephalica appellantur, quoad caro increſcere incipiat. Interdū etiam os radendū, ſi uel ob eminētes aliquas ſpinoſas partes, uel ut celerius caro inducatur, res id exigere uidebitur: reliqua pręterea medicamētorū materia, ſicut in uulneribus diximus, adhibēda eſt.

De inflammatione membranæ cerebri. Cap. XCI

IAm uero ſæpenumero accidit, ut poſt chirurgiam cerebri membrana adeò inflametur, ut non modo caluariæ craſſitudinem, uerumetiam cutem eius cum repercuſſione quadam tranſgrediatur. Atq; ita naturali eius pulſatili motu impedito cōuulſio præcipue, aliaq; grauia ſymptomata, uel mors etiam conſequitur. Inflammatio uero hæc prouenit, uel ex oſſis ſpinoſa aliqua eminentia quæ relicta eſt, uel ex linamentorum cōpreſſione, ob frigus interdum, aut nimium cibi modū, aut uini potionem, uel aliqua alia incerta de cauſa. Si certa cauſa ſit, ea quamprimum reprimēda eſt: ſi incerta, magis inſudandū eſt: nam tum ſanguis mittendus, ſi nihil aliud obſtet, tum ad inflammationem accommodato uictu utendum eſt, tum remedia ſecundum locum adhibenda ſunt, qualis eſt calidi roſacei inſperſio, aut ex altheæ, aut fœni græci, aut ſeminis lini, aut chamæmeli, aut huiuſmodi alterius decocto adhibiti fotus: cataplaſmata etiam ex cruda diſſolutione, uel ex lini ſemine ex ſupradicto decocto & adipe gallinaceo imponenda: inſuccatis quoq; lanis uti commodum eſt. Debemus etiam ſupra caput, & occipitium, atq; item in aures aliquod oleum ex ijs quæ inflammationibus idonea ſunt inſtillare: neque non uiſcerum, totiuſq; corporis, tum emplaſtris, tum aquæ calidæ balneis, & unctionibus ratio habenda eſt. Si adhuc perſeueret inflammatio, à nullaq; alia re prohiberi poſſit, bilem educēte medicamēto purgari hominē Hippocrates præcipit.

De nigrefacta membrana. Cap. XCII

NIgrefacta uero membrana ſi in ſummo ſit nigrities ab aliquo medicamēto, quod eam uim habeat inducta, tribus mellis partibus cum roſaceo mixtis, ac per linamenta ſuperdatis curatur, ſi reliqua etiam cōſentanea exhibeantur. At ſi ſponte nigrefacta ſit, & altius deſcendat id malum, præcipue cum alijs grauibus indicijs, ſalus profectò deſperanda eſt: innati enim caloris mortificatio ſignificatur. Noui autem quendam qui cum anno uno pòſt, quàm uulnus acceperat, exterebrata ei caluaria fuiſſet, euaſit: erat enim in ſyncipite fractura ſagitta effecta, quæ ſaniei exitum habebat, unde membrana illæſa conſeruata eſt.

De naribus fractis & contuſis. Cap. XCIII

NArium inferior pars quæ cartilaginoſa eſt, minime frangiẽ, ſed colliditur, & deſidit, & diſtorquetur: ſuperior uero, cum naturæ oſſeæ ſit, frangi interdum cōſueuit. In his Hippocrates deligationem reſpuit, quippe quæ reſimũ magis faciat, magiſq; diſtorqueat: niſi ubi in medijs naribus ex impulſione aliquid eminet: tunc enim deligationem cum medicamenti impoſitione admittit, propterea quod compreſſus ea parte naſus in naturalem figurã reſtituitur. Si igitur in inferiore parte fractę nares ſint, digito indice, aut minimo ſubiecto excitãdæ ſunt, quoad extrinſecus in ſitũ ſuũ reponantur. Si interius id accidit, ſpecilli capitulo iniecto idem uel ſtatim à primo die, uel non multo pòſt faciendum eſt: quippe cum oſſa narium circa decimũ diem indurentur: debent etiam extrinſecus indice & magno digito utrinq; comprimi ac cõformari. Atq; ut conformatio hæc figuram ſuam conſeruet, intorti cuneoli molli pellicula cincti intus adijciendi ſunt, in utraq; nare alter, etiam ſi in altera tantum parte diſtortio contigerit: atq; hi tandiu intus permittendi, quoad corroboratum os, uel cartilago induruerit. Quidam tamen ſunt qui pinnas anſerinas molli panniculo circundatas in nares inſerãt; ut & deſidere excitatum locum non ſinant, & minime impediant quo minus fieri reſpiratio ualeat: ſed hoc neceſſariũ non eſt: poteſt enim per os ſpiritus adduci. At ſi inflãmentur nares, ſuper imponendũ emplaſtrum aliquod ex ijs quæ inflammationibus accommodantur, quale eſt quod ex ſuccis conſtat, aut ex oleo cui acetum adiectũ ſit, aut tale quippiã. Cõmoda etiã ſunt cataplaſmata ex triticea ſimila cum manna, aut gũmi decocta, quibus & inflammatio reprimiẽ, & nares cõtinentur & cohærent. Si in alterã partem nares diſtortę ſunt, Hippocrates iubet poſt cõgruam cõformationem habenulam ad digiti latitudinẽ extrinſecus circũduci: quod ita fit: alterũ habenæ caput taurino glutine, aut gummi illitũ naſi ſummitati ab eo latere in quod inclinat, agglutinatur: quod ubi induruit, habena ultra oppoſitam aurem ad occipitiũ & frontem ducta, demũ ſub altero capite inſeritur ac firmatur, ut retractæ in latus nares in mediam figurã dirigantur: quod tamen recentioribus nõ admodũ probatur. At ſi in minutas partes os fuerit fractũ, uel facienda, uel amplianda plaga erit: atq; ita fragmentis uulſella extractis ſuturæ adhibendæ, medicamẽtaq; cõglutinantia, ſicut in uulneribus, ſuper imponenda. Si intus ulcus ſit, implicita in longitudinẽ linamenta accõmodato aliquo medicamento illita ſubijcienda ſunt. Nõnulli etiam plumbeis fiſtulis, quoad ſaneſcat locus, uti conſueuerunt, ne ex ulceribus caruncula aliqua increſcere permittatur.

De inferiore maxilla fracta, & aure contuſa. Cap. XCIIII

DE auris quidem cõtuſione, quippe quę inter fracturarum affectiones minime ſit, in tertio libro ſatis dictũ eſt. Maxilla uero inferior multis de cauſis frangitur. Si igitur extrinſecus tantum fracta ſit, non in tranſuerſum, ſic ut intus deſidat & cauetur, id quod facilis animaduerſionis eſt, debemus alterius manus, ſi dextera maxilla eſt dexteræ, ſi ſiniſterior lęuæ digitis indice, & medio in os cõiectis interiorem fracturæ gibbum in exteriorem partem perite admodum compellere, alteraq; manu extrinſecus excipere: idq; maxillam in ſuam ſedem reſtitutam eſſe indicio ſit, ſi dentes æquales conſpiciantur. Si uero caulatim fracta eſt maxilla, utrinq; à miniſtro retro intendenda eſt, ſimiliq; modo, ut dixi, dirigenda: quod ubi factũ eſt, dentes qui in parte fracta diſſident, ut quidem Hippocrates inquit, auro, hoc eſt lino aureo, aut auro filato deligandi ſunt. Quia tamen nõ omnibus hoc facile eſt, ſatis erit ſi lino aliquo ualido, aut byſſo, aut ſeta equina, aut huiuſmodi aliquo inter ſe iungantur. Quod ſi fractura cum ulcere extiterit, ſpecillo explorandum eſt, nunquid abruptio aliqua oſſis facta ſit: ſiq; ea deprehendatur, plaga ſi parua eſt latius debet aperiri, atque fragmentis oſſis ſiue unum, ſiue plura fuerint, idoneo ad id inſtrumento exemptis, plagæ oræ ſutura commitendæ, ſupraq; emplaſtrum, ſicut in uulneribus, dandum ac deligãdum eſt. Si ulcus nullum ſit, ſimplici tantummodo cerato maxillæ ſuper impoſito accommodata deligatione utemur, quæ in hunc modum fit: Faſcia, media eius parte in occipitio collocata utrin-

que ultra aures ad ſummum mentum ducitur:inde iterum occipitio circundata, ab eo ſub mentum reuoluitur:poſtea per genas ad ſyncipnt datur: indeq; rurſus infra occipitium extremis capitibus redacta ibi deligationem finit: poſt quam tamen ſuperiectio facienda eſt, hoc eſt uinculum alterum fronti ſuperijciendum ac circundandum, capitibus à poſteriore parte inter ſe iunctis:quod utique omnes has ſuperiores deligationes conſtringat. Quidam antè ferulam leuem, ſicut alij alutam æqualis longitudinis maxillæ imponunt, deinde hoc,quo dictum eſt, modo deligāt. Alij eo deligationis genere utuntur,quod capiſtrum appellatur. At uero ſi utræq; maxillę circa ſummum mentum ea in parte,qua inter ſe coëunt,diruptæ fuerint,utriſq; manibus apprehenſę paululum diducendæ,atq; ita rurſus inter ſe compingendæ ac coaptādæ ſunt. Dentes præterea,ut diximus,uinciendi, congruaq; deligatio adhibenda eſt: præcipiendumq; ægro eſt, ut tenuibus cibis ac ſorbitionibus utatur:quippe cum manducatio ipſi ſit inimiciſſima. Quod ſi loco ſuo motū eſſe aliquid exiſtimaueris, poſt tertiū diem reſolues, ac rurſus deligabis:atq; ita facies quoad callus concreſcat. Maxilla uero cum rara ſit ac medulloſa,intra tres præcipue hebdomadas callo glutinat. Si inflammatio aliqua moleſtet, nihil aut ex inſperſionibus, aut cataplaſmatis ad hæc accōmodatis omittendum eſt:id quod in omnibus ſimili modo obſeruandum eſſe cenſeatur.

De iugulo fracto. Cap. XCV

IVgulum naturali ſitu interiore capite pectori inhęret,exteriore humeri articulo innectitur:ac propterea cum humerū,uel etiā ipſum brachiū ſuſtineat,ſi fracturā patitur, qualibet in parte id cōtigerit,fere id quod ab humero, eo quod à pectore eſt à brachio tractū inferius inclinatur, meliusq; eſt multorū quidē ſententia cum caulatim, q̄ cum ſcandulatim, aut harundinatim frangitur. Nam quod per trāſuerſum fractū eſt, facile & intentione,& digitorū compreſſione in naturalem ſedem redit:in reliquis ſemper aliquid eminet,quod cōmitti difficulter admodum poteſt. Si igitur per totam craſſitudinem quomodocunq; fractum ſit, duo miniſtri, alter brachium quod fracto iugulo adiacet utriſque manibus apprehenſum in exteriorem ſimul & ſuperiorem partem attrahat,alter oppoſitum humerum, uel certe collum fortiter reducat, ut extenſio efficiatur:tum medicus digitis eminentiora propellendo, ac deſidentia in exteriorem partem attrahendo fracturā componat. Quod ſi maiori opus cōtentione fuerit,prægrandi è panniculis aut lana confecto globo,uel tali aliqua turgida mole alæ ſuppoſita cubitus aduerſæ coſtæ admouendus:tum reliqua, ſicut dictum eſt,peragēda ſunt. Si quod ab humero eſt in imo deſidat, neq; attrahi ulla ratione ad ſummū poſſit, ita faciendum eſt:reſupinato homine,dorſoq; eius cōuenienti puluillo ſubiecto,utriq; humeri deorſum comprimendi à miniſtro ſunt,ut cōditum iuguli os ſurſum reflectatur:deinde digitis componenda fractura eſt. Si abruptam aliquam iuguli partem loco ſuo dimotam ac pungentē ſentiamus, incidi cōtrà cutis debet,atq; inde fragmenta extrahenda ſunt: reliqua poſtea ſcalpris complanāda ſiue membranę cuſtode,ſiue altero ſcalpro oſſi ſuppoſito,quo firmari ictus queat. Sicq; inflammatio abfuerit,futuris:ſin minus, linamētis utendū eſt. Præparata præterea eſſe debent diuerſa ſplenia, eorūq; maiora & craſſiora ad prominentis oſſis inclinationem:ſi inflammatio ſit,oleo madentia: ſi non ſit,ſicca opponenda ſunt:tum congruo ex lana globo alæ ſubdito conuenienti deligatione faſciandū eſt,faſcia per alas, & affectū iugulū, & ſcapulā apte circūducta. Si pars iuguli, quæ ab humero eſt,ad inferiora inclinata fuerit,latiore habena media ex parte cubito ſubiecta totum brachiū ceruici appendendū eſt:altero uinculo manu etiam ſuſpenſa, perinde atq; in ſanguine à ſummo cubito mittendo fieri conſueuit: ſi ſuperius tetenderit,id quod raro cōtingit, omiſſa hac brachij ſuſpēſione ſupinus homo collocādus eſt, tenuiq; uictu alendus:aliquādo etiam ſi opus ſit, inſperſione, ſed cū modo utendū eſt, quoad callum cōtrahat:iugulum enim intra uiginti ad ſummum dies ferruminatur.

De ſcapula. Cap. XCVI

OSſis ſcapulæ lata pars quæ menſa appellatur,minime frangit:ſed quę ad ſpinam eſt,

eſt id patitur, interdum expreſſa, interdum ſimplici modo rupta, interdum etiam abrupta. Expreſſio tactu cognoſcit, cum ſinus ea in parte digitis occurrat: adde quod & torporem uicino brachio & pungentem dolorem inducit. Ruptionem & loci aſperitas, ſi attrectetur, & dolor indicat: atq; his utriſq; ad inflammationes accõmodata curatione ſuccurrendũ eſt. Abruptio uero etiã ipſa manu agnoſcit, in qua ſi os immotũ ſuo loco quieſcit, cõuenienti deligatione cõpreſſum per ſe coire permittit. Si ſuo loco motũ carnem punctionibus infeſtat, inciſione facta extrahitur, cõſutioq;, ut ſuprà dictũ eſt, adhibetur: deligationes quoq; ſicut in iugulo faciendæ, decubitus uero in oppoſitũ latus.

De pectore. Cap. XCVII

MEdia pectoralis oſſis pars frangi cum expreſſione cõſueuit: ſummitas uero eius etiam abrumpitur. Cum ruptio diſtorta accidit, dolor eo in loco, & inęqualitas, & ſonitus ad digitorum attractionem cõſequitur. Expreſſionem uero factam hęc declarant: uehemens dolor, ſpirandi difficultas, tuſſis ſuccingente membrana ſtimulata, raro, ſed aliquando tamen ſanguinis eductio, fracti oſſis concauitas, & ſinuatio: atque hic quoq; eadẽ quę in ſcapula fracta adhibenda curatio eſt. In expreſſione tamen reponendi iuguli in interiorem partem delapſi, ab Hippocrate traditus modus cõmodiſſimus eſt: reſupinato homine, eiusq; dorſo, ut dictũ eſt, ceruicali ſuppoſito ſcapulę deprimendæ ſunt: ſimulq; manibus utrinq; coſtæ compreſſæ ſurſum cogendæ, lanaq; lateribus ſuper data orbiculari deligatione utendũ eſt. Subdunt tamen prius duæ ab humeris in rectũ dependentes habenæ, quarũ capita abſoluta faſciatione ad humeros reducta ibi nodum accipiunt: ita enim fit ut orbicularis illa faſciatio delabi minime poſſit.

De coſtis. Cap. XCVIII

EX coſtis quæ etiam ſpathæ appellantur, illæ quę oſſeæ ſunt in omni parte fracturam ſuſtinent: nothæ uero iuxta ſpinam ſolum, utpote ibi tantũmodo oſſeæ: nam in anteriore parte qua in cartilaginem degenerãt, collidũtur, frangi uero nequaquam poſſunt. Cuius rei notatio haud difficilis eſt: inæqualitas enim loci, crepitus, & declinatio in partem fractam digitis attrectantis occurrit. Siq; interius inclinatum os fuerit, dolor uehemens pungens infeſtat: grauior ſanè, quàm is qui in lateris morbo ſentit, quippe cum hic quaſi aculeo quodam ſubcingẽs membrana uulneretur: difficilis præterea ſpiratio, tuſſis, ſæpe etiam ſputum ſanguinis ſequitur. Reliquæ igitur omnes coſtarum declinationes digitis cõponi, ac conformari poſſunt: illa ſola quæ in interiorem partem facta eſt, cum nulla intendendi detur facultas, nullo modo poteſt. Vnde hoc in caſu aliqui ſunt qui & uberioribus, & inflantibus cibis utendũ præcipiant, ut ex uentris inflatione ac diſtentione in exteriorẽ partem fractura impellat: ſed hoc minime eſt neceſſarium: neq; enim cõmune quicquã eſt, quantũ ad hoc attinet, thoraci cum nutricatorijs mẽbris: ut omittam quod ex repletione inflãmatio augetur. Alij cucurbitulam admouent, id quod à ratione minime eſſet alienũ, niſi humorũ eo in loco ex attractione collectio fractũ os interius potius eſſet detruſura. Quocirca ita inquit Soranus: Lanis oleo calido inſperſis partes eæ operiantur: deinde intercoſtiũ linteolis impleatur, quo plana per orbicularem circũductionem, ſicut in pectore, fieri poſſit deligatio: cætera quemadmodũ in lateris dolore pro ratione magnitudinis fiant. At ſi neceſſitas aliqua cogat ex nimia membranæ pũctione, incidenda eo loco cutis eſt, parsq; coſtę fracta aperienda, ſubiectaq; cuſtode mẽbranæ, ne ea feriatur, excidi coſta accurate admodũ debet, pungentiaq; fragmenta educi. Poſt hæc ſi inflammatio abeſt, coniungere plagæ oras, ac ſicut uulnera curare conuenit: ſi inflammatio eſt, oleo tinctis linamentis cõtegendus locus eſt: tum & alimenta & medicamenta inflammationibus accommodata erunt exhibenda, permittendumq; ut cubet æger, quo modo leuius fert.

De coxis & pubis oſſibus. Cap. XCIX

COxarũ aut ilium oſſa raro quidem franguntur: eaſdem tamen quas ſcapulæ fracturarũ ſpecies ſubeunt: abrumpuntur enim iuxta fines, & franguntur per lon

gitudinem, & in medio expreſſionem patiuntur: ſequi hæc ſolet dolor loci, punctionis cum pulſu ſenſus, & cruris: cum expreſſio facta eſt, ſtupiditas. Eundem compoſitionis modum, ut in ſcapulis, requirunt: excepto quod in abruptione inciſionem, fragmentorumq; exemptionem nullam ob partium exteriorum periculum admittunt: ſed cum accidit abruptio coaptare, confingereq; ea digitis neceſſe eſt. Cõſentanea etiam reliqua curatio ſequi debet, tum inſperſionibus adhibitis, tum iliorum cauitatibus duplicibus linteis repletis, quo plana faſciatio orbiculariter inijciatur. Eadẽ de pectine, hoc eſt pubis oſſibus, cum nihil proprium habeant, dicenda ſunt.

De uertebris, & ſpina dorſi, & ſacro oſſe. Cap. C

VErtebrarum eminentiæ contuſionem interdũ, fractionem raro patiuntur: quod cum fit, medullæ cõpreſſis membranulis, uel ipſa etiã medulla neruorũ affectiones, & matura mors interdũ ſequitur: præſertim ſi circa ceruicis uertebras fractura contigerit: quamobrem debet medicus prius quanto in periculo res ſit prędicere: deinde ſi fieri poteſt, aliquid audere, factaq; ſectione oſſis fragmentum, quod comprimebat, eximere: ſi id nõ poteſt, aliqua ſaltem inflammationẽ ſedante curatione id malum lenire. Si aliquis ex proceſſibus uertebræ abruptus ſit, ex ijs inquam, qui extuberationẽ eam quæ ſpina proprie appellatur, conſtituunt, id quod ex eo intelligitur, quod cõtrectanti hac illac labans fragmentum ſentitur, inciſa contra cute eximi debet, ſuturisq; adhibitis ſicut uulnera curari. At ſi os ſacrum fractũ ſit, digito ſiniſtræ manus indice in anum ſubiecto, altera manu fractura, quatenus fieri poteſt, componenda eſt. Si abruptio ſentitur, inciſione ſimiliter facta quod receſſit ab oſſe extrahendum eſt: deinde accommodata deligatio, curatioq; adhibenda.

De brachio. Cap. CI

BRachium fractum, ut Hippocrates tradit, ita intenditur: Lignum, inquit, prælongum, ut columella, ab extremis capitibus funiculis exceptũ de aliqua trabe tranſuerſum ſuſpẽdatur: deinde homo in alto aliquo ſedili rectior, uel ea ſaltem figura collocetur, quæ recta ceruice dormiendi occaſionem præſtat. Quod ubi factũ eſt, manus eius unà cum brachio ſupra id lignum traducenda, quoad ala in media ligni parte per tranſuerſum inferatur: tum ſummo cubito ad rectũ angulũ inflexo miniſter manum ſuſtineat: medicus pondere aliquo uel lapide, uel plumbo cubito annexo, ita ut ſuſpenſum dependeat, fracturæ repoſitionem aggrediatur. Poteſt etiam nullo ſuſpenſo pondere miniſter brachiũ deorſum trahere: nonnulli quoq; loco columellæ ſcalarum gradu uſi ſunt. Soranus uero in hunc modum prodit: Homine, inquit, in ſedili collocato, uel quod melius eſt, reſupinato, ne moleſtia aliqua uexetur, manuq; eius iuxta articulum uinculo deligata, ceruiciq; appẽſa, ſic tamen ut recti anguli figura ſeruetur, duobus miniſtris iubebimus, ut brachium alter ſupra fracturam, alter infra, manibus correptum in diuerſa cõtendant. Quod ſi ualidiore opus ſit extenſione, duas æquales habenas, alteram ſupra, alteram infra locum fractũ brachio deligabimus, eaſq; miniſtris alteri ad caput, alteri ad pedes ægri ſtanti in diuerſa intendendas trademus. Si ad ſummum humerum fractura eſt, mediam habenam alæ ſubiectam ſtans à capite cõtineat, alter in cõtrariam partem brachium trahat, ut ſicut dictum eſt, in diuerſa extenſio efficiatur. Simili modo ſi ad cubiti eminentiã eſt læſio, & ipſi, & articulo manus habena eſt innectenda: ubi oſſa cõpoſita ſunt, remittenda intenſio eſt, ac iuxta Hippocraticam legem deligandũ. Si abſq; inflammatione & recens ſit fractura, nudis faſcijs prælongis utendum eſt, trium aut quatuor digitorum latitudine, aqua aut poſca madefactis. Deligatio ita fit: ſi in medio brachio eſt læſio, prior faſciatio ſupra fracturam incipere debet, biſq; aut ter ibi uoluta ſurſum uerſum ferri, ut ſanguinis, inquit, defluxus intercludatur, atq; illic deſinere. Secũda poſtmodum adhibenda, quæ etiam ipſa ſupra fracturam orſa in omnibus ſimili modo, ut prior, fit, niſi quod à ſuperiore parte deorſum tendit: atq; inde iterum reducta in ſuperiore parte finem accipit, atq; utræq; moderatæ & ad

noſtrum & ad laborantis ſenſum aſtrictæ ſint. Si ad ſummũ humerũ fractura eſt, priori faſcia tam ipſe humerus, quàm ſcapulæ, & pectus cõprehendi debent, ut gruuaria quæ dicitur deligatio afficiatur: altera uſq; ad cubitũ ducta, atq; inde iterum reducta ad ſuperiores partes & humero, & ſcapulis, & pectori, non ſecus ac prior, circũdanda eſt. Si in uicinia cubiti brachiũ fractum eſt, etiam ipſe cubitus erit deligandus angulari figura ſeruata. Simili modo etiã in alijs membris longis, cubitis inquam, femoribus, & tibijs eſt faciendum: nam ſi non in medio, ſed ulterius, uel iuxta etiam articulos fractura accidit, unà cum articulo deligatur. Recentiores ſanè poſt deligationẽ protinus ferulas ſuperaccõmodant, quibus oſſa in ſua ſede contineantur, aſtringuntq; eas conuenienter & ad ſenſum, & ad inflãmationis tumorem. Sed ueteres nõ niſi poſt ſeptimũ diem eas inijciunt: intra enim hoc ſpacium ſoluta inflammatione membrum ipſum tenuius redditur. Quinetiam reſoluere tertio quoq; die Hippocrates iubet, ne ſi diutius ita opertũ ſinatur membrũ, uel intendat, aut moueatur aliquid, uel fracturæ ſi iam firmata ſit, diflatio prohibeat. Ex quo nõ nocua modo prurigo infeſtat, uerumetiã ſaniei acrimonia eroſa interdũ cute ulcus efficitur. Tanta igitur aqua temperata fouẽdus locus eſt, quanta ad ſaniem diſcutiendam idonea eſſe uideatur. Vbi uero ſeptimus præterijt dies, tam citò reſoluendũ minime eſt: nam neq; ſaniem amplius excernit membrũ, & callus melius ita increſcit. Ferulæ uero hoc modo adhibẽtur: triplices pannos oleo tinctos faſcijs circũdamus: ſi membrum in craſſitie æquale eſt, æqualiter: ſi inæquale, ſic, ut cauis partibus repletis atq; adæquatis, membrũ æquale undiq; ad ſuſcipiendas ferulas reddatur: deinde ferulas lana, aut ſtuppa mediocriter inuolutas circũcirca fracturam nõ minus, quàm unius digiti ſpacio inter ſe diſtantes collocabimus, leniterq; aſtringemus: ſummopere cauẽtes, quatenus fieri poteſt, ne articulus aliquis, & præcipue interior flexus pars ab eis attingatur: ulcera enim in his interdum & neruorũ inflammationes faciũt. Vnde iuxta articulos quambreuiſſimæ eſſe debent, ſicut in quam partem fractura inclinat, quamualentiſſimæ: meliusq; eſt ut ad thoracẽ etiam leniter brachiũ deligetur, ne motũ de figura in quam compoſitũ fuerat, recedat. Si forte inflãmatio ſit, quæ tum ex tumore & rubore, qui circũ eſt, colligit, tum ex eo quod magis tunc q̃ prius membrum coarctari ſentitur: uel ſi diſtorta ſit fractura, uel etiam ſi nihil horum ſit, modò laxior, aut contrà aſtrictior, quàm debeat, deligatio eſſe uideatur: his omnibus de cauſis reſoluendũ erit, atq; accõmodatis remedijs ſuccurrendum. His ita factis ſupinus reclinandus homo eſt, manu ſupra ſtomachũ poſita: deinde molli aluta brachio ſubiecta, quæ utiq; infuſiones excipiat, calidum oleum inſpergendum quotidie eſt: & præcipue ſi adſit inflãmatio: quo etiam tẽpore tenui uictu alendus eſt, pleniori poſtea, tum cum iam increſcere callum oportet. Quieſcendũ uero eſt, quoad membrũ callo firmatum ſit: firmatur autem tam brachium, quàm tibia intra quadrageſimum diem: poſt quem reſoluendum eſt, ac balneo utendũ, ad fracturaſq; accommodatis emplaſtris curatio proſequenda eſt. Atq; hic quidem chirurgiæ modus omnibus alijs fractis tam circa brachia, quàm circa crura optime conuenit.

De cubito, & radio. Cap. CII

CVbitus uero & radius interdum uterq; ſimul, interdum alter ſolummodo cõminuitur: atq; id uel in medio, uel ulterius, hoc eſt aut iuxta flexum brachij, aut iuxta articulum manus patitur. Peſſimũ omniũ eſt, cum uterq; ſimul frangitur: minus malum cum cubitus ſolus: leuiſſimum omnium ubi ſoli radio nocumentum cõtingit: nam radius quamuis maior cubito ſit, habet tamen cubitum ſuppoſitũ in quo inſiſtit. Si igitur alter ſolũmodo fractus eſt, ea in parte ualentior intenſio fieri debet: ſi uterq;, æquali modo intendendus eſt, inflexa manu ad angulum rectũ, ſic ut pollex omniũ digitorum altiſſimus, minimus omniũ cõtrà infimus ſit: ita enim fiet, ut cubitus quoq; radio ſubijciatur. Quod ſi ualentiore opus intenſione eſt, præcipue cum utraq; oſſa fracta ſunt, non ſolum manibus, ſed habenis quoq;, ut de brachio dictũ eſt, erit extendendum: ſecundumq; eum modũ, qui ibi cõprehenſus eſt, omnis deligatio, & reliqua unà

cum ferularũ iniectiõne, quoad oſſa cõferueſcant, adhiberi debent. Solent autem cubiti oſſa ſpacio triginta ut plurimum dierum cõglutinari. Depoſitio item & collocatio eadem, quæ in brachio fracto, exceptis tamen ijs quæ ſubijciuntur, eſſe conuenit.

De manu & eius digitis. Cap. CIII

PRimæ partis palmæ oſſa, tum ea quæ palmam ipſam explent, & digitorum internodia rara cum ſint, & cauernoſa natura, plerũq; collidi, raro frangi ſolent. Collocandus igitur homo eſt in alto ſedili, iubendumq; ei ut ſupra planũ aliquod ſcamnum pronam manum deponat: atq; ita pars fracta per miniſtrũ extenta duobus digitis pollice ſcilicet & indice pertractari, componiq; debet: deinde aſtricte deligari, eo præcipue tempore quo inflammatio accidit: nam ob raritatẽ facile fit, ut in ipſis nimius callus ſuperincreſcat. Cum internodium, aut digitus totus fractus eſt, ſi is eſt magnus, qui pollex nuncupatur, apta faſciatione inferius, ut quieſcat ad imam palmam deligandus eſt: ſi index, uel paruus, ad uicinum: ſi aliquis ex medijs, ſimiliter ad eos, qui utrinque ſunt deuinciendus: uel etiam omnes ſimul colligandi ſunt: melius enim ita quieſcunt, non ſecus ac ſi ferulis fuiſſent deligati.

De femore. Cap. CIIII

FEmoris ratio cum ijs, quæ de brachio ſuperius dicta ſunt, cõmunicat: proprium tamen id habet, quod fractũ in anteriorem, exterioremq; partem inclinatur: in quas partes naturali latitudine etiã propendet, extenditurq; & manibus, & uinculis, & carcheſijs æqualiter intentis, altero infra, altero ſupra fracturam conſtitutis. Cum altrinſecus fractura cõtigit & non in media parte, ſi ad caput femoris eſt, media habenę pars lana inuoluta, ne corpus ſecet ſub interfemineo ponit, eiuſq; initia ad caput reducta ibi ſtanti miniſtro detinenda porriguntur: deinde infra ipſam fracturam laqueum circũiectum alter in contrarium intendit. Si ad genu fractum eſt, laqueum ſimili modo ſupra id inijcimus ad intendendum: geniculum uero ipſum uinculo aliquo innexo cõtinendum eſt. Atq; ita iacente homine atq; extento crure locum pertractamus ac componimus: exempto ſemper ſi quid quibuſdã quaſi aculeis carnẽ uexat, ut ſæpe dictũ eſt. Reliquam curationem in brachio tradidimus. Femur uſq; ad quadraginta dies occalleſcit. Quo modo uero deponi ac collocari debeat, poſt totius cruris abſolutionem dicetur.

De genuum patella. Cap. CV

PAtella quæ carne & neruis ſuprà & infrà ualida deligatione continetur, os rarum eſt: atq; idcirco ſæpe colliſionem, raro fracturam patitur. Interdũ igitur per totam craſſitudinem frangitur, interdũ in minuta fragmenta abrumpitur: atq; id modo cum uulnere, modo ſine uulnere accidit: cuius rei cõſideratio ſatis manifeſta eſt: motio enim continuitatis, & ſinus eo loco, & crepitus quidam tactu ſentitur. Cõponi hoc modo ſolet: Si in duas partes diſſiluerit, extento crure digitis paulatim compellenda eſt, quoad inter ſe fracti oſſis oræ appoſitæ committantur. Si in minutas partes rupta fuerit, cõformanda ac fingenda eſt: nam ſi nulla fiat calli obductio, propterea quod utrinq; à femore & tibia non æqualiter à connexis muſculis & neruis poteſt diſtendi patella, longe à naturali diſtantia contrahetur, functioniq; difficultatẽ afferet: neq; enim ſi diutius quis fatigetur, tolerare genu poteſt: & in deambulando etiam, præcipue cum aſcendẽdum eſt, nocumentũ ſentitur: nam dum in planitie incedunt, uitium facile latet: dum aſcendunt, propterea quod genu in ſublatione & depoſitione cruris flecti nequit, arguitur. At ſi etiã hic oſſicula aliqua punctionibus infeſtent, extrahenda ſunt, cæteraq; ut diximus adhibenda.

De tibia. Cap. CVI

TIbiæ cum cubito magna conuenientia eſt: nam etiam hęc duobus oſſibus conſtat, altero craſſiore, quod eodem nomine tibia, altero tenuiore quod ſura appellatur,

eademq;

eademq; fractionũ genera admittit, in omnesq; partes inclinatur: cum utrũq;, in tres, cum alterũ os cõminutum eſt, in interiorem & exteriorem: tum in poſteriorem tibia, ſura in anteriorem. Idcirco etiam ipſa tibia eodem modo quo cubitus, uel manibus uel laqueis iniectis extendenda eſt: laqueiq; modo ipſi tibiæ, modo femori ſunt innectendi: nam ſi ualentius ſit genu, articulus illæſus in diſtentione etiam permanet. Simili ratione in habena, quę infra locum fractũ inijcitur, utendum eſt, ſicut de cubito diximus: cætera ut in brachio facienda ſunt.

De pede. Cap. CVII

TAlus cum undequaq; à tibia & ſura ſuperius, infrà à quadrato oſſe calcis muniatur, frangi nullo modo poteſt. Scaphoides quidem, quod nauiculare dicunt, tum plantæ oſſa, & digitorũ, & quadratum etiam ipſum, ad eorum quę in prima parte palmæ, & ipſa palma ſunt, ſimilitudinem frangi cõſueuerunt. Vnde ne ſæpius eadem cogamur repetere, horum eò referenda conſideratio eſt.

De cruris depoſitione. Cap. CVIII

FEmori & tibiæ deponendæ ac collocandæ nõ minor, quàm reliquis omnibus alijs diligentia debet adhiberi: ſiquidem depoſitio, quæ recte facta eſt, fractarum partium æqualitatem in primis cõſeruat. Nonnulli igitur in canalem, alij ligneum, alij teſtaceum, fractum membrum, uel totum etiam crus cõijciunt: quidam ſola fracta cum uulnere, propterea quod non poſſunt, ut ipſi dicunt, cõſtringi, ita deponũt. Sed uſum canalium poſteriores prorſus reſpuerũt, cum multis alijs de cauſis, tum ob id maxime quod duritie ſua atterendo offenſum membrum moleſtant: neq; enim interdictũ ita eſt, ut fracta etiam cum uulnere ferulis cingere cõmode nõ ualeamus, ſicut poſtea demonſtrabimus. Cruris autem depoſitionem ſic faciunt: Supinus homo collocatur, cruriq; eius, & præcipue quà in parte fractura eſt craſſus aliquis pannus ſubſternitur, longitudine crus ipſum æquans, qui utrinq; colligi ac cõuolui ita debet, ut quandã in medio canali perquam ſimilem cauitatem efficiat, ſuper quam deinde mollis aliqua aluta ad liquores qui inſpergentur excipiendos explicanda eſt: atq; ita cruri poſtea accõmodatur, utrinq; à lateribus alijs pannis, uel lanis inſertis, ne in alterutrã partem declinare poſſit. Poſt hæc ad pedis ueſtigium tabella panniculo etiam ipſa inuoluta, quo mollior ſit, erecta applicatur: atq; ut firmius maneat, duorum aut trium uinculorum medijs partibus canaliculato illi panno circũdatis crus ipſum molliter deuincitur. Tum ne impatiens æger totum pedem conetur cõtrahere, debemus eum in ſuperiore parte faſciola media collocata ad tabellam leniter deligare: ut ne inuitus quidẽ, forte dum dormit, eum contrahat. Nonnulli ſunt qui lecti etiam culcitram in medio perforant, ut immotus prorſus homo perſeueret: & per id foramen, quouſq; callo fractura indureſcat, & mingat, & aluum expurget.

De fracturis cum uulnere. Cap. CIX

CVm fracturę uulnus quoq; acceſſit, ſi ſanguinis profuſio eſt, ea prius ſiſtenda eſt: ſi inflammatio, ei ſimiliter aptis remedijs ſuccurrendũ: ſi contuſa circũcirca caro conſpicitur, ſcarificari ea pars debet, ut gangrenę periculum auferatur. Quod ſi uel ea uel aliqua alia ſerpens putredo iam occupauit, accommodatę ad id medicinæ ſunt adhibendæ. Quæ omnia in quarto libro à nobis tradita ſunt. Si uero nihil horum adſit, neq; magna oſſis pars nudata ſit, hamis & ſuturis uſi, medicamentis, quæ recentibus uulneribus imponuntur, curabimus: prius tamen fragmentis oſſium, quæ uel pungunt, uel innatant, extractis. Si autem magnum aliquod os emineat, quod in extenſione cõmitti non potuerit, huic prouidendum eſt. Hippocrates quidem in femore, & brachio fracto eminentia oſſa eijcere uetat, monens ſi id fecerimus, quantum ex intenſione periculum uel inflammationis, uel conuulſionis muſculorũ & neruorũ impendeat: tempus tamen huius etiam rei aggreſſionem interdum non eſſe inutilem docuit. Quod-

cunq; igitur os eminens componere aggrediemur, in primis illud cauere debebimus, ne in inflammationis tempore id faciamus: ſed uel primo ſtatim die antequam aduenerit, uel poſt nonũ, ea iam finita. Coaptabimus autem ipſa extantia oſſa uecticulo (id eſt ferreum inſtrumentum ſeptem uel octo digitos longitudine non excedens) craſſitudine cõuenienti, ne in impulſione inflectatur, in ſummo acutum & latum, & leniter incuruum: hoc acuta parte ſub oſſis eminentiam iniecta in aduerſum impellimus: atque ita mediocri diuulſione facta, inter ſe fracturę capita cõmittimus. Si neq; hoc modo res cedit, ſcalpris oppoſitis quicquid eminet excidendũ eſt, uel ſerrandũ, quo modo ſuperius ubi de fiſtulis agebamus, explicatũ eſt: ſcabricieq; oſſiũ poſtea leuigata, directoq; membro linamentis curabimus. Maxima uero in coniugatis & bijugis membris cura erit adhibenda, ne cum utrunq; in ipſis os ex parte defectũ fuerit, contracta relinquantur: in quibus ſanè exquiſita opus erit diſtentione, ut æqualis utrinque modus ſeruetur. Deligatio uero ſic eſt facieda: orbiculares inuolutiones ab utraq; ulceris parte oblique ſupra ipſum ulcus in longitudinem collocantur, ſic ut per decuſſationem ad X literæ ſimilitudinẽ ex omnibus minime hians, locus relinquatur: ſi ſordidũ adhuc eſt ulcus, expurgantia: ſi purum, carnem producentia per linamenta imponuntur, & reliqua ex uſu medicamenta. Hippocrates tamen picato emplaſtro per linamenta ad hoc utitur: quod tetrapharmacum baſilicum eſſe dicunt. Vbi caro iam increuit, ferulæ circundandæ ſunt: tametſi aliqui etiã à principio, ulceris tamen loco euitato, ipſas inijciũt: & prout neceſſitas tulerit modo laxant, modo aſtringũt. At ſi ſquãmula aliqua ex oſſe reſoluitur, id colligi ex eo poteſt, quod & copioſior, tenuiorq; humor fluit, & caro circa ulcus laxa ac mollis effecta intumeſcit: quo in caſu laxãda deligatio eſt. Vbi uero uel hamo, uel tali aliquo inſtrumento ſquammam eiecerimus, iterum aſtringenda: per totum uero, quo ulcus curatur, tempus linamenti cuſtos ex aliquo medicamento ex ijs quæ inflammationibus ſedandis ſunt, uulneri eſt ſuperdandum: deligationeq; ſimplici utendum, quæ ſubinde ubi fouere & nutrire ulcus uoluerimus, reſoluatur: aliæ uero ſuperius traditæ deligationes remanebunt, ut de brachio dictum eſt.

De calli ſuperexcreſcentia in fracturis. Cap. CX

CAlli in fracturis ſuperexcreſcentiæ membrũ indecorum prorſus reddunt: interdum etiam, ſi utiq; iuxta articulũ fuerint, functioni afferũt impedimentũ. Quocirca ſi acciderint, & adhuc recens callus fuerit, ualde aſtringentibus medicamentis utemur, cõpreſſamq; admodũ deligationem adhibebimus, lamina plumbea quoq; interdum impoſita. Quod ſi ſolidus ac lapideus iam euaſit callus, aperta ibi cute deradẽdus eſt: parsq; eius eminens ſcalpris, & terebris etiam, ſi opus ſit, admotis excidenda eſt.

De ijs quibus in diſtortione callus concreuit. Cap. CXI

CVm in diſtortione callus concreuit, non paruã incõmoditatem affert, pręcipue ſi in pedibus id accidit. Qua in re intendendi membri, oſſiũq; ita in antiquã ſedem reſtituendorũ modus cum maxime periculoſus ſit, minime admitti debet: ſed ſi tener adhuc callus eſt, laxantibus fotionibus, & cataplaſmatis, ijsq; quæ ex ficis aridis pinguibus, & ſtercore columbino cõſtant, alijsq; callũ ſoluentibus medicamẽtis utendũ eſt: ſi uero lapideus ſit, ſummã cutem incidere oportet, oſſisq; cõglutinationem ſcalpris confringere, rurſusq; oſſa in ſuam ſedem cõpulſa curare, ſicut ſupra comprehenſum eſt.

De fracturis quæ ſine callo perſeuerant. Cap. CXII

SIne callo aliquæ fracturæ ultra præſcriptum à natura terminum perſeuerant, multis de cauſis: uel enim ob aſſiduas ſolutiones, uel ob fomenta immoderate adhibita, uel ob importunam motionem, uel ex faſciarum multitudine id euenit: nonnunquam etiam quia totum corpus non alitur: quo in caſu membrum quoq; ipſum gracilius euadit. Oportet igitur cum alijs cauſis, tum præcipue maciei occurrere: quod fiet, ſi uel calidis admotis materiam ad membrũ attrahemus, uel alimentum largius, & balnea,

nea, reliquamq; animi hilaritatem exhibebimus. Eorum uero quæ iam occalleſcũt indicio eſſe cum alia, tum illud poteſt, quod faſciæ quamuis nullum adſit uulnus, cruentæ conſpiciũtur: id quod fortaſſe ob id euenit, quod calli ſubſtantia, cum coit, in oſſium cauernoſos meatus perrumpens, ſanguinis guttas inde exprimit.

De luxationibus. Cap. CXIII

SEquitur, ut poſt oſſium fracturas, de eorũ luxationibus dicamus. Luxatio igitur, ut formula quadam definiatur, eſt articuli è propria ſede in alienã exitus, quo uoluntaria motio impedit̃. Huius ſanè ſpecies plures nõ habentur, niſi quatenus uel magis, uel minus contingit: nam cum ex toto excidunt articuli, communi generis nomine luxatio: cum è ſedibus ſuis paululum dimouentur, uel uſq; ad cauitatis ſupercilium prolabuntur, ſubluxatio appellatur.

De inferiore maxilla. Cap. CXIIII

RVrſus igitur à ſuperioribus partibus exordio facto, de inferiore maxilla dicendũ eſt: nam ſuperior, quia immobilis eſt, à luxationis uitio eſt aliena: inferior uero licet perfectam luxationem nõ admodum patiatur, propterea quod capita in ſuperiori firmiter cardinis modo infixa habet, ſępe tamen ſubluxatur: nam muſculi qui eam continent cum ex aſſidua mandendi & loquendi exercitatione molliores efficiãtur, à qualibet cauſa facile relaxantur: deprimitur enim, apud Hippocratem idem eſt, quod relaxatur: quod cum accidit, ſponte ſine ulla difficultate articulus in ſuam ſedẽ reuertitur. De perfecta uero maxillæ luxatione ſatis erit, ſi uerba hic Hippocratis appoſuerimus, quibus eam & breuiter, & ſine ullo defectu perſpicue explicat. Ita enim inquit: Maxilla raro excidit, ſæpe in nimijs oris hiatibus deprimitur: id quod in alijs multis muſculorum & neruorum declinationibus euenire conſueuit. Cum uero excidit, his præcipue indicijs manifeſtum fit: prominet inferior maxilla in anteriorem partem, in cõtrariumq; lapſus promota conſpicitur: tum oſſis proceſſus iuxta ſuperiorẽ maxillam eminentior apparet: quiq; hoc patiũtur cõmittere maxillas ęgre poſſunt. Repoſitio etiam qualis ſit congrua perſpicuũ eſt: debet enim alter caput continere, alter inferiorem maxillam hiante homine quantum moderate poteſt, ad mentum & intus & extra digitis apprehenſam prius aliquantiſper hac illac agitare, & tum ipſe propellere, tum ægro iubere, ut laxam maxillam tenens ſimul etiã ipſe propellat, & propellenti obſequatur: magnumq; ſtudium adhibendum eſt, ut pręcipue tres in partes ſimul repente moueatur: nam & à diſtortione in naturalem ſitum compellenda, & ſimul retro agenda inferior maxilla eſt: atq; utrunq; hoc ſic moderandũ, ut eodem tempore quoq; utræq; cõmittantur, non autem hient. Ac repoſitio quidem hęc eſt, quæ ne alijs quidem fieri modis poteſt. Medicina uero breuis poſtmodum ſufficiet, ſplenio enim cerato impoſito laxam deligationem adhibemus. Tutior tamen adminiſtratio eſt, ſi homo ſupinus reclinetur, caputq; eius ſubiecto ſcorteo puluino bene facto, quo minime cedat, à miniſtro etiam contineatur. Quod ſi utræq; luxatæ fuerint maxillæ, curatio eadem. Qui hoc patiuntur concludere os minus poſſunt, quippe cum in exteriorem partem maxillæ magis promineant: quarum directio ex dentium ſuperiorũ cum inferioribus correſpondentia præcipue cognoſci poteſt: dentes in ordinem ſuum reſtitue, ac quamcelerrime maxillas repone. Repoſitionis modus iam dictus eſt, niſi uidelicet aliquod uitæ periculum uel ex febribus continuis, uel ex ſegni ſopore inciderit: muſculi enim hi cum præter naturam uel alterantur, uel intenduntur, ſoporem inducunt. Solent etiam uentris uel bilioſæ uel paucæ ac meræ deiectiones horum eſſe: meræ itidem ſi euomunt, uomitiones: atq; hi ſanè quibus hæc accidunt, moriuntur. Hæc Hippocrates. Sed nos quoq; hoc præcipue repoſitionis modo ſæpenumero uſi fuimus: tantum maxillam luxatam ſpongia ex aqua calida cui oleum adiectum ſit, prius fouemus, præſertim ſi dura ſit, minimeq; ad introitũ cedat: tum collocato homine ſic ut humi ſedeat, à tergo ſtantes, eo quo ab Hippocrate dictum eſt modo opus adminiſtramus.

De iugulo & ſummo humero. Cap. CXV

IVgulum interiore capite nunq̃ excidit: quippe quod pectori ita inhæret, ut ne moueri quidẽ poſſit: ſi uero ex aliqua uiolenti extrinſecus facta percuſſione auellatur, ad fracturarũ reſtitutiones reducendũ eſt. Sed neq; altero fine quo cum humeri articulo innexũ eſt, excidere admodũ poteſt, cum & à bicipite muſculo, & ſummo humero prohibeaẽ. Nullam præterea uehementẽ motionẽ per ſe priuatim adeptũ eſt iugulũ, dilatandi tantũmodo thoracis cauſa effectũ: unde ſolus inter animalia homo id habet. Quod ſi quando in lucta eueniat, ut ſubluxetur, id & manuũ conformatione, & plagellarum multiplicium impreſſione unà cum cõuenientibus deligationibus cõponi conſueuit. Eadem ratione ſummus humerus ſubluxatus in ſuam ſedem reſtituitur. Verũ eſt cartilaginoſum quoddam oſſiculum, quod iugulũ ſcapulæ colligat, facileq; in macilentis latet: quod ſi dimoueaẽ capitis brachij luxati imperitis ſpeciẽ exhibet: nam etiam in hoc caſu ſummus humerus acutior cernitur, & ſinus, unde prolapſus eſt factus, apparet. Quocirca internoſcere hæc his indicijs oportet, quæ deinceps ſubiungam.

De humero luxato. Cap. CXVI

CAput brachij in ſcapularũ ſinu innexum ſæpenumero quidem excidit: ſed neq; ſurſum, ob anchorarium ſcapulę proceſſum: neq; retro, ob ipſam ſcapulam: neq; ante, ob bicipitis muſculi tendonem, & ſummũ humerum, qui prohibet: intrò uero & extrà raro: frequenter, & præcipue in ijs qui non multa carne præditi ſunt, in inferiorem partem, quibus ſanè facile & excidit, & rurſus reſtituitur: carnoſis uero ecõtrario euenit, quo enim tardius his luxatur, eo ęgrius quoq; reaptari cõſueuit. Quibuſdã uero accidit, ut ex ictu aliquo ualida inflammatione exorta, humerus etiam ſi nõ luxatus fuerit, luxationis tamen ſpeciem præbeat. Eos igitur quibus in inferiorẽ partem facta eſt luxatio, poteris his indicijs dignoſcere: humerus læſus ſi ad ſanum comparetur, longe diuerſus apparet: brachij enim ſummitas unde exitus eſt factus, ſubſidit: ſummusq; humerus, ut de eo ſubluxato diximus, acutior quàm naturalis eius habitus ſit, cernitur: tum brachij caput prolapſum in alam euidenter decubuiſſe conſpicit. Huius præterea brachij cubitus magis à coſtis, quàm alter recedit: & ſi uim attuleris ęgre admouetur: neq; poſſunt iſti manum ad aurem extento cubito porrigere, alijsq; uarijs motionibus exercere. In pueris igitur, aut ijs quibus non diutina, ſed recens luxatio eſt, hoc modo ſæpe, ut Hippocrates inquit, in ſedem ſuam reſtituitur: medicus, aut æger etiam ipſe, ſed alterius manus, quę ſana eſt, niſi puer ſit, prominenti nodo medij digiti inflexi alam ſubtrudit. Valentiores uero repoſitiones ſunt hæ: Oportet hominem relaxantibus fomentis ablutum humi reſupinum collocare, deinde pilam congruæ magnitudinis uel ſcorteam, uel alterius generis, modò non ſit admodum mollis, ſub alam eius accommodare: tum medicus aduerſus ſedens ad læſum latus, ſi dexter humerus luxatus eſt, dextri: ſi ſiniſter, ſiniſtri pedis calcem debet ſupra pilam alæ ſubditam conſtituere: poſtea apprehenſa hominis manu, quæ affecta eſt, ſimul & manum uerſus pedes attrahere, & pilam impacto calce repellere: quod cum ſit, alter iacentis hominis humerus à miniſtro retro ad caput ſtanti urgendus eſt, ne illa medici diſtentione corpus circumagatur. Alius eſt reponendi modus per humeri ſuppoſitionem: Iuuenis robuſtus, qui ægro longior ſit, hoc eſt altior ſtatura, ad latus, quo luxatum eſt brachium, ſtans, humerũ ſuum alæ luxati ſupponit: deinde ſe attollit, manumq; eius ad uentrem ſuum deorſum trahit, ſic ut reliquũ ægri corpus poſt tergũ ſubleuantis ſublime dependeat: quod ſi nimis gracilis eſt æger, leuis aliquis puer ipſi appendendus eſt: ita enim fiet, ut manu ex altera parte, reliquo corpore ex altera æqualiter deorſum tractis, alæ ſubiectus humerus delapſum articulum in ſedem ſuam compellat. Hoc idem piſtillo facere poſſumus. Id lignum eſt oblongum, quod rectum in ſolo ſupra aliquod aliud firmum cõſtituitur: cuius ſuperior pars rotunda, neq; admodum craſſa, neq; nimis tenuis eſt. Sũma igitur hęc pars ſub alam hominis uel ſtantis, uel ſedẽtis, prout longitudo piſtilli requiret, ſupponẽda eſt: deinde manus eius ad longitudinẽ piſtilli extenta deor-

ſum trahēda,ſic ut reliquū corpus uel propria grauitate,uel ab altero attractū deorſum etiam ipſum præponderet:atq; ita repoſitio efficiatur. Idem gradu ſcalæ fieri poteſt,ſicut de fracti brachij intenſione ſupra dictum eſt: niſi quod hic rotundū aliquid gradui alligandū eſt,quod in alam inſeri,caputq; brachij impellere ſurſum ualeat. At ſi uel ob luxationis uetuſtatē, uel ob corporis duritiem reponendi difficultas nobis offerat, ſpathula utendū erit. Eſt autem ſpathula,quod longitudine duos circiter cubitos æquat,lignum, latitudinē quatuor,craſſitudinem duorum digitorū habet:in quo ſummo capitulum eſt rotundum,quod in alæ cauitatem ſeſe apte admodum inſinuet,perinde atq; ſumma piſtilli pars: hoc capitulum faſcia aliqua inuolutū, quo lenius ſit, capiti brachij ſub alam iniectū adaptamus: deinde ad totum brachiū porrectum lignum deligatur, uno loco paulum infra brachij caput,altero ad cubitū,tertio ſupra manū:ſic brachium deligatū unà cum ſpathula ſupra aliud lignum transferendū eſt,quod tranſuerſum ſupra duo recta tigilla infixū ſit:uel etiam ſupra ſcalę gradū traijciendū,ſic ut ala tranſuerſa gradui inſeratur:ſimulq; in alterā partē corpus ſuſpenſum demittendū,in alterā brachium deorſum intendendū eſt:tunc enim demum fiet,ut articulus ingrediatur:quod ubi factū fuerit, lanea pila,cōuenientis magnitudinis:ſi inflammatio abſit,ſicca:ſi adſit, oleo madida alæ ſubijcienda eſt:ac deligandū,per hanc alam, & humerum & alteram alam faſcia circūducta, ſic ut inuolutiones decuſſatim ſe mutuò ſupergredientes, figuram literæ X ſupra humerū accipiant:brachium deinde coſtis, & cubitus alligatur:manuſq; ceruici appenditur,ne rurſus recenti lapſu articulus excidat. Poſt ſeptimū diem, uel ſerius etiam reſoluemus, modicaq; utemur frictione, quo ſolidiori effecto corpore articulus ineptior ad prolapſum reddatur. Si uero ſæpe articulus excidat,uel ex humiditate,uel ex longa aliqua exeūdi aſſuetudine,ad aduſtionem, ut ſuperius diximus,ueniendū eſt. At quibus uel in utero, uel poſteaquam æditi ſunt,dum adhuc augentur, membrum aliquod luxatum eſt, neque amplius reponitur,ijs ſi humerus luxatus eſt, carnes quidem nullam noxam contrahunt:neq; enim prohibetur manus, quo minus qualibet functione ſua uti poſſit: ſed os brachij, cum non augeatur,breuius remanet: atque anci ipſi appellantur,galiancones à Græcis. Si femur uero excidit,& os ſine augmento permanet,& totum crus etiam ſecum perdit:nam cum pondus corporis ſuſtinere nō ualeat,nō exercetur. Reliqua itidem membra longa,cubitus inquam,& tibia ſi extra locum ſuum remaneant,faciunt ut ſubiectæ partes offendantur.

De cubito. Cap. CXVII

QVanto artificioſius cubitus quàm humerus articulo innexus eſt,tanto difficilior ad excidendū euaſit:unde tardius quidem is prolabitur,ſed prolapſus longe maiore negocio,ob eminentiarū & cauitatū frequentiam reponitur: patiturq; interdum ſubluxationem ſolummodo: ſæpe uero etiam perfecte & in omnes partes, ſed præcipue in anteriorem & poſteriorē luxat. Cuius differentia tum uiſu,tum tactu dignoſci facilime poteſt:nam & quo excidit prominens, & unde excidit cauus locus ſentit: atque hoc ſani cubiti affectio præcipue declarat. Debet uero quamcitiſſime reponi antequam inflammetur:nam ſi inflammatio occupauit, curari difficulter poteſt:aliquando etiam prorſus inſanabilis permanet, præſertim ſi in poſteriorem partem receſſerit. Ex omnibus enim cubiti luxationibus hæc quæ in poſteriorem fit,ſolet & maiorem dolorem,& grauius periculū afferre. Mediocres igitur dimotiones, mediocris quoq; intenſio reſtituit:ex miniſtris enim alter brachiū, alter cubitum apprehenſum in diuerſa extendit,medicus autem manus ſuæ palma prolapſum os in naturalem ſedem propellit. At Hippocrates cum in anteriorē partem receſſiſſet,repentina cubiti adductione dirigebat:ita uidelicet ut palma ægri reiecta in humerū pulſaret: cum in poſteriorē egreſſus eſſet,repentina cōtrà cubiti extenſione curabat:nam & ex luxationibus ea quę eſt in anteriorem partem,ex uiolenta intenſione,quę in poſteriorem ex uiolenta ſimiliter inflexione præcipue euenit. Sed ſi hac ratione remaneat luxatio, ualētius extendendū eſt,ad eaq; præcipue ueniendum quæ de brachio fracto ab Hippocrate dicta ſunt,ubi

columellam aſſumebat. Recentiores uero ita reponere conſueuerunt: duobus miniſtris, altero ad alam, altero ad manum brachiũ in diuerſa extendentibus, medicus aduerſus ægro ſtans utriſqꝫ palmis brachium ſupra articulum cõprehendit, iubetqꝫ ut ſibi manus faſcia aliqua oblonga, uel lata habena inuolutæ ſimul & in exteriorem partem, & deorſum ad manum ægri retrahantur: tum etiam ipſe ſequens cum intentione aſtrictas manus trahit, quoad cubiti articulũ tranſgrediantur. Prius tamen ungendum oleo brachium eſt, quo lubricum effectum manibus medici facile cedat: ita enim fit, ut eminens os tractorum manuum uiolentia impulſum in propriam ſedem reuertatur. Vbi facta repoſitio eſt, brachium ad angulum rectum figuratum ſplenijs impoſitis, aptaqꝫ deligatione adhibita poſtmodum curamus.

De primæ partis palmæ, & digitorum luxationibus. Cap. CXVIII

OSſium primæ partis palmæ, & digitorum luxatio niſi cum ulcere accidat, nullam difficultatem habet. Si cum ulcere eſt, de ea dicetur, ubi de luxationibus cum ulcere factis agemus. Si abſqꝫ ulcere, mediocri intenſione, & ad inflammationem accommodatis remedijs utendum eſt.

De uertebris ſpinæ. Cap. CXIX

VErtebræ ſpinæ ſi perfectam luxationẽ patiantur, mortem cõtinuò afferunt: neqꝫ enim ullam quamuis leuem dorſi medulla ſuſtinere cõpreſſionem poteſt: quando uel neruorũ qui ab ipſa emanant exortus, ſi cõprimatur, ſatis eſt ad mortem maturandam: ſubluxationibus tamen ſæpe afficiũtur, & modo in anteriorẽ partem, modo retro, modo in latus inclinant. Quibus primũ uitium accidit repandi, quibus ſecũdum gibbi, quibus tertiũ obſtipi nũcupantur. Cum multæ igitur uertebræ paululũ dimotæ ſunt, ex pluriũ inclinatione orbicularis quidã ſinus apparet: quem nõnulli ſpecie decepti, ex unius tantũ uertebræ uel magno prolapſu euenire opinantur: cum tamen magnus prolapſus nõ orbicularẽ, ſed angulatũ ſpinæ ſinum efficiat, periculoſiorqꝫ multo ſit. Spinæ igitur in interiorẽ partem inclinatio dirigi nullo modo poteſt, cum ab interiore parte per uentrem repellendi nulla nobis facultas exhibeat̃: nam qui uel in ſcala extendendo eos qui hoc patiũtur, uel cucurbitulas admouendo, uel ſternutamenta, aut tuſſes excitando, uel inflationes procurãdo remediũ aliquod credũt inueniſſe, ſatis ab Hippocrate redarguti ſunt: quia enim ſæpe euenit, ut oſſiculum aliquod ex ſpinæ eminentia confractũ cauum locũ efficiat, ut de fracturis dictũ eſt: nõnulli repandos eſſe factos eos, quibus id cõtigit, opinati ſunt. Deinde ubi celerrime malũ hoc curarũt: facile enim callo glutinat̃: facile ſanari repandos poſſe prædicant: cum tamen id malũ ſanari uel nulla ratione, uel ęgre admodũ poſſit: ex hoc enim ſuppreſſio urinę, & ſtercoris ſequitur, frigeſcitqꝫ corpus. Poſtea etiã inuolũtaria excrementorũ effuſio ſuccedere conſueuit, id quod ex neruorũ muſculorũqꝫ contagione euenit: hi profectò citò moriũtur, ac pręſertim ſi in ſummis circa ceruicẽ uertebris luxatio cõtigerit. Gibbũ autẽ, qui utiqꝫ à pueritia factus eſt, diuturnũ eſſe, neqꝫ mortẽ citam, ſed morbũ afferre, inſanabilemqꝫ eſſe teſtatur Hippocrates. In eo uero qui recens factus ex caſu eſt, omnes aliæ machinationes, quas iſti tam ſcalis, & recta corporis ſuſpenſione, ꝗ utriũ inflatione moliuntur, deridẽdæ ſunt, ſolaqꝫ Hippocratis ratio admittẽda eſt. Oportet, inquit, magnũ aliquod lignum ea longitudine & latitudine, quæ capere proſtratũ hominẽ poſſit, uel ſcamnũ huic æquale iuxta parietem apponere, quod per longitudinem ab eo pedis interuallo nõ amplius diſtet: ſuperqꝫ ſtragula aliqua explicare, ne hominis corpus contundatur: deinde hominem prius lotum ſupra ipſum prono corpore conſtituere. Quod ubi factum eſt, habena illi pectori gemina inuolutione per alas circundanda eſt, quæ ſupra dorſum nodo accepto capitibus ad prælongum fuſtem piſtillarem deligetur: fuſtiſqꝫ is in ſolo capiti ſuppoſiti ligni, uel ſcamni adhærens erectus ſtatui debet, dariqꝫ miniſtro à capite ægri ſtanti in ſuperiori parte continendus, ut ima parte ſolo innixa, ſuperior ſeruata occaſione ſupra caput à miniſtro adducta, corpus extendat. Altera præterea

habena pedibus utriſq; ſupra malleolos inijcitur, ibiq; uincitur: tertia item ſupra lumbos innexa ſupra eoſdem à poſteriore parte iunctura firmatur: tum utrarũq; harum capita inter ſe iuncta alteri piſtillo deligantur: ſimiliq; modo ad pedes iacentis hominis piſtillum, ſicut alterũ erectũ collocatur. His ita præparatis ligna hæc miniſtris utriſq; in diuerſa intendere iubemus. Alij ijs qui uocãtur aſelli ſolent hoc facere. Sunt autẽ aſelli axes quidã qui in recto ligno infixi conuertunt. Iis igitur utrinq; altero ab altera ſubiecti ligni uel ſcamni parte conſtituti, habenarũ capita inuoluunt. Poſteaquã ita facta intenſio eſt, nos manuum noſtrarum palma gibbum comprimimus ac coaptamus: ſiq; opus eſt etiam ſuperinſidemus, modo nullus alius metus prohibeat. At ſi neq; hac ratione coaptari ſpina potuit, & homo cõpreſſionem ſatis tolerat, appoſitus paries in longitudinem excauãdus eſt, ſic ut canaliculus è regione gibbi in eo efficiatur: qui neq; cubiti longitudinem excedat, neq; altior, neque humilior ſpina proſtrati hominis ſit: imò præparandus ante eſt: ea enim de cauſa lignum iuxta parietem collocandũ à principio eſſe dicebamus. Aſſis deinde accõmodatæ magnitudinis altero capite in canaliculũ parietis inſeri, altero ſupra hominis ſpinã deprimi debet, quoad oſſis directio ſenſu etiam percipiatur. Sed, ut inquit Hippocrates, uel ſola extenſio abſq; aſſe, uel ſola aſſis compreſſio ad reſtituendũ gibbum idonea eſt: quod ſi uerũ eſt, nihil ab re erit ſi in repandis quoq; & obſtipis ſtatim à principio, omiſſa tamen cõpreſſione, ſupradicto intenſionis modo utemur. Poſt repoſitionem aſſula lignea quæ trium digitorũ latitudinẽ habeat: longa uero ita ſit, ut unà cum gibbo aliquas ſanas uertebras poſſit contegere, lintea faſcia, uel ſtuppa inuoluenda, ne tactu lædat, uertebriſq; opponẽda eſt: deinde cõmode deligandũ, tenuiq; uictu utendũ eſt. Quod ſi gibbi reliquiæ aliquæ ſuperſint, ad laxantia, ac molientia medicamenta ueniendũ eſt: ſimulq; aſſula ualentius imprimenda, quę à nonnullis etiam plumbea in hoc caſu adhibetur.

De coxæ luxatione. Cap. CXX

CVm pleraq; hominis oſſa modo ſubluxent, modo perfecte excidant, coxę & humeri iũctura ſoli integræ luxationis prolapſui ſubiacet. Atq; adeò magis coxa, ꝗ humerus, quippe quæ rotundã ac profundã concauitatẽ habeat, altioribuſq; ſuperciliorum eminentijs circũmunita ſit. Cum igitur femoris articulus ualenti aliqua extranea uiolentia impulſus extra ſuum ſinũ exit, quatenus uel magis, uel minus prolabit, multas luxationum ſpecies facit: in quatuor enim modos, quinimo in omnes quatuor partes os coxæ promouetur: in interiorẽ, in exteriorẽ, in priorem, in poſteriorẽ: ſed in interiorẽ aut exteriorẽ frequentius, frequẽtiſſime tamen in interiorẽ: in anteriorẽ, aut poſteriorem rarius. Si in interiorem prolapſa coxa eſt, offenſum crus ſi ſano cõparetur longius, & circa genu uaſtius eſt, & ad inguen inflecti minime poteſt: in interfemineo præterea, quo femoris caput impactũ eſt, euidẽs extuberatio ſentit. Si in exteriorẽ excidit, cõtraria his indicia habentur: nam crus breuius, & circa genu tenuius cõſpicitur, & flecti poteſt: ſub interfemineo ſinus, extra ad natem tumor apparet. Si in priorẽ, extendunt quidẽ crus ſine genu dolore, ſed implicare id, dum incedere nituntur, non ualent, ſed calce tantũ in ingreſſu terrã cõtingunt: quo in caſu urina ſupprimitur, inguen tumidũ, clunis cõtrà exilis, ac rugoſa cernitur. Si in poſteriorẽ uero fit luxatio, breuius itidem crus eſt, & extẽdi neq; poples, neq; genu poteſt, neq; etiã inflecti, niſi prius inflexũ inguen fuerit. Quod quidẽ inguen laxius eſt, ſed femoris caput poſterius in clunem protuberat. Quibuſcũq; igitur uel à pueritia, uel abſolute etiã hic articulus prolapſus neglectus diutius extra ſedem ſuam remãſit, cum iam callo occupatũ ſit, nullã adhibere curationem amplius licet: quibus uero recens luxatio accidit, ijs Hippocratis ratione ſuccurrendum eſt: ſed protinus aggredienda repoſitio eſt: ſiquidem coxæ luxatio, cum inueterauit, inſanabilis prorſus efficit. Cõmune omnibus his quatuor generibus reaptandi modi duo ſunt, alter qui circũtorquendo atq; inflectendo, alter qui extendẽdo fit: nam ſi recens malũ eſt, & homo iuuenis, femur interdũ apprehẽſum, atq; hac illac circũagitatum in ſedem ſuam cõpellitur. Si uero in interiorẽ partem inclinat,

ſola etiam ſubita & ualida inguinis inflexione in interiorē partem reſtituimus: ſed ſi ita non proficitur, ad extenſionem ueniendum: ea prius manibus molienda eſt, alijs crus circa femur & tibiam correptum deorſum, alijs ſub alis cōprehenſum corpus ſurſum trahentibus: quod ſi uehementiore opus ſit intentione, uincula uel textilia, uel tortilia, hoc eſt funiculos cruri ſupra talos præcipue innectemus: & ſupra genu etiã ne aliqua læſione afficiat̃: ad pectus uero nō opus eſt uinculis, ſed manibus tantū ſub alas datis, ut diximus, cōplectendum eſt: habena deinde mollis ac ualida media eius parte interfemineo ſubijcienda: atq; ab anteriore parte per inguen & iugulum, à poſteriore per dorſum ad humeros reducēda eſt, miniſtroq; tradenda: poſtea omnes debent uno eodemq; tempore in diuerſa cōtendere, ſic ut ægri corpus ſuſpenſum à terra ſubleuetur. Atq; hic quidem extendendi modus omnibus quatuor generibus cōuenit. Cōpellendi uero articuli ratio in ſingulis uariat: nam homine ita intento ſi in interiorē partē eſt prolapſus, prius media habenę pars interfemineo ſubdita inter femoris caput, ipſumq; interfemineum ſtatuitur, ſurſumq; per eiuſdem partis inguen, & iugulum remittitur: deinde ualens aliquis iuuenis utriſq; ſuis cubitis femur læſum, qua craſſius eſt, complexus in exteriorem partem fortiter trahit: qui ſanè promptior, ſimpliciorq; alijs modus eſt. Si huic articulus nō obtemperauerit, alij adhibendi ſunt: qui ſicut maiorem uarietatem habent, ita efficaciores etiam ſunt. Extendendus homo eſt ſupra magnū lignū, aut ſcamnū, in quo ſcilicet gibbū in ſpina cōponebamus: in eo tamen prius per totum ferè oblongæ quædam cauæ faciendæ ſunt, altitudine & latitudine nō amplius trium digitorum, inter ſe uero quatuor ad ſummū digitorū ſpacio diſtantes: ut in utram partem adducendū ſit, his moris imi uectes obijciantur: in medio uero lignū alterum erectum infigendū eſt, quod pedis longitudinem, columellæ craſſitudinē habeat, ut cum homo extendetur, inter caput femoris, & interfemineum conſtitutum ſimul & impediat, ne dum trahitur ad pedes corpus ſequat̃ (ſolet enim cum hoc eſt nulla ſuperius retractio ſæpenumero deſiderari) & ad exteriorem partem capitis femur propellat. Extenſio uero ſicut ſuperius traditum eſt, fieri debet præcipue ad pedes: ſi neq; ita os in locum naturalem redit, lignum id erectum eximendum eſt: atq; à latere foraminis, ubi illud erat infixum, utrinq; duo alia ligna pedali longitudine infigenda ſunt, quaſi duo poſticuli: inter quæ aliud lignum quaſi ſcalæ gradus inſerendum eſt, ſic ut trium lignorum figura ad literæ H ſimilitudinem euadat: quod fiet, ſi paululum ſcilicet infra ſumma capita lignum hoc tertium immiſſum fuerit: deinde in ſanum latus hominem collocare oportet, eiuſq; ſanum crus inter poſticulos infra illud lignum, quod quaſi gradus ſuperiacet, traijcere: ægrum uero ſupra ipſum gradum transferre, ut ad caput femoris adaptetur: debet tamen is prius panno aliquo multiplici inuolui, ne femur duritie lędat: quod ubi fecimus, aliud lignum latitudinis congruæ, cuius longitudo à capite femoris ad talum uſq; porrigit̃, interiori parti cruris ſubiectum, ad crus ipſum deligabimus: ut cum fiet intentio uel piſtillis, ut in gibbo ſpinæ diximus, uel aliquo alio, crus unà cum alligato ligno deorſum tractū uiolenta hac impulſione caput femoris in ſedem ſuam cogat. Alius reponendi modus eſt ſine hac ſupra lignum extenſione, ab Hippocrate cōmendatus. Debemus, inquit, manus ægri ad coſtas leniter deligare, cruraq; ambo ualida habena ac molli, & ad talos & ſupra genua deuincire, ſic ut quatuor circiter digitorū ſpacio inter ſe diſtent: crure ſcilicet luxato ſupra alterū duobus ferè digitis extento: deinde hominem in caput ſuſpendere duos cubitos à terra ſublatum. His ita conſtitutis iuuenis aliquis rei peritus ſuis cubitis læſum femur quamproxime ad caput complectatur, repenteq; appendere ſeſe illi conetur: ita enim facile fiet, ut in locum ſuum articulus inſeratur. Hic modus porrò licet reliquis ſimplicior ſit, utpote qui per multum apparatū non trahatur, pleriq; tamen ipſum quaſi nimis miſerabilem repudiarunt. At ſi in exteriorem partem coxa promota eſt, homo extenditur, ſicut ſuperius comprehenſum eſt, tantum habena interfemineo ſubiecta per oppoſitas partes, inguen uidelicet, & iugulū ſurſum reducenda: tum medicus ab exteriore parte introrſum propellit, alicui oppoſitæ ex ſupradictis cauis uecte obiecto: & miniſter in ſanam natem, ne cedat, obnititur:

obnititur. Cum in priorē partem eſt luxatio, ita fit: facta intenſione robuſtus aliquis uir imam manus ſuæ palmam ſupra inguen ægrum poſitam, altera manu fortiter comprimit, deorſumq; ad genu trahit. In ijs uero quibus retro articulus excidit, non eſt opus ſublatum à terra corpus extendere, ut in luxatis in exteriorem partem fiebat: ſed ſupra aliquod ſolidum uel lignum, uel ſcamnū, ut in gibbo dictū eſt, debet pronus homo extendi, non lumbo, ſed cruri, quemadmodū modo explicauimus, uinculis iniectis: deinde aſſe quoq; utendum eſt ad clunem, quo articulus prolapſus eſt, comprimendam. Ac de ijs quidē quibus ex inchoante extrinſecus cauſa coxa excidit, hactenus. Quoniam uero redundans quoq; humiditas efficit, ut quemadmodum humerus, ita etiam coxa de ſede ſua promoueatur, hoc in caſu aduſtio eſt adhibenda: de qua ſuo loco ſatis dictum eſt.

De genu luxatione. Cap. CXXI

GEnu tribus modis, in exteriorem et interiorē partem, & in poplitem excidit: nam in priorem ab oppoſita patella prohibitum nō poteſt. Quibus in caſibus ijſdem rationibus ad intendendos neruos utemur, modo ſolis manibus, modo uinculis etiam iniectis, tum accommodate deligabimus, reliquamq; curationem adhibebimus, illud ſtudentes, ut diutius immotum ſeruetur.

De tali luxatione, ubi etiam de digitis pedum. Cap. CXXII

TAli articulus ſi modice prorupit, modica quoq; intenſione condi poteſt: ſi integre luxatus eſt, maiorem uim requirit. Conandum igitur etiam hic eſt per manus ualentius intendere: quod ſi ita nō redeat, humi reſupinādus homo eſt, interq; eius femora ad interfemineū longus aliquis ac ualidus paxillus rectus ſatis alte in terrā defigendus eſt, ut ei corpus innixū ad pedis attractionem non cedat: ſed prius quàm homo ita collocetur, præparandus eſt. Quinetiam ſi adeſt magnū illud lignū, in cuius medio, ut diximus, pedalis paxillus infixus fuerat, eo utendū eſt, ſupraq; ipſum intenſio facienda. Miniſtro igitur femur continente ac retrahente, alter uel manibus, uel habena pedem in contrarium adducat: tum medicus manibus articulum pertractet ac reponat: quod dum fit, alter etiam pes ab aliquo deorſum cōtinendus eſt. Poſt repoſitionem firma deligatione utendū eſt faſcia, & ad plantā & ad malleolos circūducta: in quo caueri debet, ne poſterior calcis tendo aſtringatur: iubendūq; inde homini eſt, ne intra quadraginta dies ingrediatur: nam ſi ante perfectam curationem quis ingredi conetur, ita pedem afficit, ut poſtea functione ſua uti difficulter poſſit. Si uero ex ſaltu aliquando, ut ſolet, calcis os dimotum, uel aliquo alio modo cum inflammatione affectum fuerit, leniter intendendū eſt ac componendum: poſtea inſperſiones ad inflammationem accommodatæ adhibendæ ſunt, ac firmiter deligandum: inde uſq; ad membri confirmationem in quiete perſeuerandum eſt. Digiti autem pedis ſi prolapſi ſunt, ſicut de digitis manus dictum iam eſt, mediocri intenſione non difficulter reſtituuntur. Illud uero in omnibus tam luxationibus, quàm ſubluxationibus obſeruandum eſt, ut poſteaquam repoſitio eſt facta, elapſiq; ſunt præſcripti ad quieſcendū dies, ſi aliqua inflammatio articulis adhuc remanet, uel tumor, unde functio impediri diutius ſolet, his mollientibus medicamentis ſuccuramus: quorum materiam nemo non nouit ex ijs qui artis huius opus pertractant.

De luxationibus cum ulceratione. Cap. CXXIII

IN luxationibus cum ulceratione multa opus diligētia eſt: nam ſi reponantur, maxima pericula, mortem interdum etiam afferūt. Cum enim ex intenſione adiacentes muſculi inflammantur, uehementes dolores, cōuulſiones, febres acutæ cōſequuntur: atque hoc in cubitis, & genibus præcipue euenit, ſuperioribuſq; articulis etiam magis: quanto enim principalibus membris ſunt uiciniores, tanto maior timor eſt. Hippocrates & repoſitionem, & ualidiorem deligationē in his penitus interdicit, ſoliſq; inflam-

mationem ſedantibus, & mitigantibus remedijs in principio uti iubet. Ita em̄ fieri, inquit, ut fortaſſe uiuant. Quod tamen ipſe in ſolis digitis faciendum conſulit, id nos in reliquis quoq; facere conabimur: et inter initia ſtatim, dum adhuc inflammatio abeſt, promotum articulum modica uſi intenſione reponemus; ſi ē ſententia res ceſſerit, in ſola mitigante inflammationē ratione perſeuerabimus: ſi inflammatio aliqua, aut conuulſio, aut quidpiam ex ſupradictis acciderit, rurſus articulus, ſi modò ſine ulla ui poteſt, protinus è loco ſuo expellendus eſt. Quod ſi hoc periculū caueamus (non enim inflammatus articulus ſine ui fortaſſe cedet) melius eſt ut in initio in maioribus articulis repoſitionē differamus. Poſteaquam uero finita inflammatio fuerit, id quod per ſeptem aut nouem dies fit, tunc demum indicemus prius neceſſarijs, & magnū in repoſitione periculum eſſe, & ſi non reponatur, debilem ea parte hominem, ac mancū prorſus fore, deinde nulla cum uiolentia os reponere aggrediamur, uecticulo etiā, quo facilius id fiat, adhibito. Vlcus poſtea, ſicut in fracturis cum uulnere cōprehenſum eſt, curandum erit.

De luxatione cum fractura. *Cap.* CXXIIII

SI cum fractura abſq; ulcere luxatio fit, communi ratione extendendū os eſt, ac manibus componendum, quemadmodum in ſimplicibus fracturis explicauimus. Si uero etiā ulcus accedit, rurſus ab ijs quę de fracturis cum ulcere, & luxationibus priuatim dicta ſunt, congrua repetenda curatio eſt.

PAVLI AEGINETAE LIBRI SEXTI DE CHIRVRGIA FINIS.

HOC SEXTO AEGINETAE LIBRO CONTENTOrum index, iuxta alphabeti ſeriem. Prior numerus chartarum eſt, alter paginarum, tertius uero uerſuum.

ABdomen emortui fœtus quo modo euacuandum. 16.1.42
Abdominis membrana uulnerata quomodo tractanda. 10.2.48
Abſceſſus curatio. 6.2.23
Abſceſſus uuluæ curatio. 15.2.23
Aduſtio ſuppuratis quō adhibēda. 9.2.13
Aegilopis, ſiue oculorum abſceſſus curatio. 4.2.26
Alæ aduſtio quando adhibenda. 9.1.38
Ancyloglosſum linguæ uitium quî curetur. 5.2.21
Ani fiſtulæ quomodo explorent̄. 17.1.13
& earum curatio. 17.1.45
Anus impuius quō aperiri debeat. 18.1.13
Aqua inter cutē quō eximatur. 10.1.42
Arteriarum ſectio. 1.2.10
Aſſiſtentes qui circa teſtes ſunt, qui ſint. 13.1.2
Auditorij meatus imperuij & compacti curatio. 4.2.42
In aures quæ inciderint, quomodo eijcienda. 5.1.2

B

BIhernij qui dicantur. 13.1.30
Brachij luxati indicia. 26.2.24
Brachij luxati repoſitiones. 26.2.34
Brachij fracti intenſio. 23.2.25
Bronchocelis gutturis tumoris curatio. (7.2.40

C

CAlculi in ueſic. exiſtētis notæ. 12.1.51
Ad calculi exciſionem quæ hominum ætas aptior. 12.2.3
Calculos maiores habentes qua ratione facilius curantur. 12.2.6
Calculi excidendi modus. 12.2.8
Calculo euulſo, quibus medicamentis utendum. 12.2.28
Callus quid ſit. 16.2.36
Callus dolorem non ſentit. 16.2.37
Calli ſuperexcreſcentia in fracturis quo modo curanda. 25.2.30
Calli in diſtortiōe cōcreti medela. 15.2.37
Cancer qualis tumor. 9.2.31
Cancri qui extrinſecus, & præcipue circa mammas oritur, curatio. 9.2.40
Capitis fracturarum differentiæ. 20.2.20
Capitis fracti ſigna. 20.2.45
Capitis aduſtio in lippientibus quomodo fiat. 1.1.14
Caſtrandi ratio duplex. 15.1.13
Caſtrati cur concubitum appetere non deſinunt. 15.1.23
Caudatio in muliere quomodo abſcindenda. 15.1.44
Cerebri membranæ inflammationis cu ratio. 21.2.32. & unde proueniat. 21.2.39
Chalazium quid. 3.2.35
Clauus quid ſit, & in qua corporis parte creſcat. 19.1.2
Clauus quo pacto tollendus. 19.1.4
Condylomatū in muliebribus locis curatio. 15.1.52
Condylomatum differentia. 18.1.4
Condylomatum ani curatio. 18.1.5
Coſtarum fractarum & colliſarum curatio. 23.1.30
Coxarum luxatarum indicia. 28.1.35
Coxæ luxatio inueterata inſanabilis eſt. 28.1.48
Coxarum luxatarum reaptatio fit duobus modis. 28.1.50
Coxarum aut ilium oſſa raro franguntur. 23.1.51
Coxarum oſſa fracta quomodo componantur. 23.2.2
Coxendicum aduſtio quo loco fieri debeat. 16.2.23
Cruris depoſitio qualis. 25.1.16
Cubiti luxati repoſitio. 27.1.40
Cubitus & radius comminutus quî curetur. 24.1.41
Cucurbitulæ quando & quomodo admouendæ. 9.1.1
Curta in naribus aut labris qua ratione curentur. 5.1.49

D

DArtæ quæ dicantur. 13.1.9
Dentes quomodo euellēdi, & expurgandi. 5.2.10
Digitorum internodia raro frangi, ſed plerunq; colliſi ſolent. 24.2.6
Digitorū agnatorum & ſedigitorum cu ratio. 9.2.1
Dilatatio digitorum morbus. 7.2.12
Et eius curatio. 7.2.25
Dorſi ſpina rupta quomodo curetur. 23.1.18

Ectropiũ q̃le palpebrarũ uitiũ. 3.1.15
Elephantia laborantium caput quo pacto aduratur. 1.1.22
Epulis & parulis gingiuarũ morbi.5.1.52
Erytroides tunica neruoſa. 13.1.6

F

Fauus quî curetur. 17.1.28
Femoris fracti curatio. 24.2.19
Fiſtula quid ſit. 16.2.34
Fiſtularum uarietas. 16.2.41
Fiſtularum curatio. 16.2.45
Fiſtularum in ueſicam demittendarum præparationis modus. 12.1.32
Fiſtulæ ani quõ cognoſcantur. 17.1.31
Fiſtulæ ani quæ ſanari poſſint, & quæ non. 17.1.43
Fiſtularum ani curatio. 17.1.45
Fœtus emortui abdomen qua ratione euacuandum. 16.1.42
Fœtuum emortuorum extractio & exciſio. 15.2.52
Formica, ſeu formicatio quid ſit, & quomodo curanda. 19.1.7. & 12
Fracturæ in capite quî curent̃. 21.1. p to.
Fracturæ aliquæ ſine callo q̃bus de cauſis perſeuerent. 25.2.46
Fracturarum capitis differentiæ. 20.2.20
Fracturæ cũ uulnere quomodo curandæ. 25.1.41
Fractura oſſium quid ſit. 20.2.7
Fracturæ plures ſpecies. 20.2.9

G

Ganglium nerui contortio. 7.2.50
Curatio. 8.1.4
Genitalium muliebriũ compactorũ cauſa, & curatio. 15.2.4. & 12
Genuũ patellæ fractæ cõpoſitio. 24.2.33
Gibbus à pueritia factus inſanabilis eſt. 27.2.39
Gibbus recens factus quî curet̃. 27.2.43
Gingiuarum tuberculorũ curatio. 5.2.3
Gutturis inciſio quî fiat. 6.2.2

H

Haemorrhoidum curatio. 17.2.38
Hemicranicorum curatio. 1.2.22
Hermaphroditorũ quatuor differentiæ. 15.1.28
Hermaphroditi qui ſanabiles, & q non. 15.1.34
Herniæ inteſtini ſigna. 14.1.24
Hernia quæ ex laxatione conſtiterit, quomodo curanda. 14.1.42
Hernia inguinis quomodo fiat. 14.2.25
& quomodo curetur. 14.2.28
Herniæ aquoſæ notio & curatio .13.1.22. & 30
Hydrocephalus morbus unde dicatur, quando & quibus contingat. 1.1.32
Hydrocephali cura. 1.1.50
Hydropicorũ p̃ ſectionẽ curatio. 10.1.42
Hypoſpathiſmi, frontis inciſionis cuiuſ-iuſdam uſus. 1.2.43

I

Inflammatio membranæ cerebri unde proueniat. 21.2.30
Inteſtina craſſa facilius, tenuia uero difficilius ſanari. 11.1.41
Inteſtini prolapſi curatio. 11.1.40
Iocinoris aduſtio. 10.1.13
Iugulum quare interiore capite nunq̃ excidat. 26.2.2
Iugulum inter animalia, ſolus homo habet. 26.2.7
Iuguli fracti curatio. 22.2.20

L

Lagophthalmi qui dicantur. 2.2.46
Leporinæ oculorum affectionis curatio. 2.2.50
Lienis aduſtio. 10.1.22
Linguæ retractio. 5.2.21
Lippitudine laborantium cura. 1.1.14
Luxatio oſſium quid ſit. 26.1.6

M

Mammarum in uiris turgeſcẽtium curatio. 10.1.3
Manuum & digitorum oſſa fracta quo pacto curentur. 24.2.5
Manuũ patrefactarũ amputatio. 18.2.5
Maxilla ſuperior à luxationis uitio aliena eſt. 26.1.15
Maxillæ inferioris luxatæ indicia.26.1.26
Maxillæ inferioris luxatę repoſit. 26.1.28
Maxillæ utriuſq; luxatæ curatio. 26.1.40
Maxilla inferior quibus de cauſis frangatur. 22.1.35
Maxillæ fractæ uaria curatio. 22.1.36
Maxillæ utræq; ſi diruptæ fuerint, quo pacto curentur. 22.2.8
Membrana cerebri nigrefacta quomodo curetur. 21.2.44
Mulieris parientis morituræ ſigna.16.1.3

N

Narium inferior pars nõ frangitur, ſed colliditur. 22.1.2

Narium fractarum curatio. 22.1.7
Narium inflãmationis remediũ. 22.1.17
Nares ſi in alteram partem diſtortæ ſint, quomodo curentur. 22.1.21
Narium os ſi fuerit fractum, quomodo curari debeat. 22.1.27
Narium ulceris interioris medela. 22.1.30
Nympha quo pacto præcidenda. 15.1.42

O

OCuli ſuppurati medela. 4.1.24
Oculorũ ſuffuſionis curatio. 4.1.39
Oculorũ leporinæ affectiõis cura. 2.2.50
Omenti prolapſi curatio. 11.1.48
Os ſacri rupti curatio. 23.2.20

P

PAlmæ primæ partis luxatæ repoſitio. 27.2.11
Palpebrarum labantia tubercula, & eorundem curatio. 3.2.35
Palpebrarum uerrucæ & inangulares quomodo curentur. 3.2.43
Palpebrarum aduſtio per medicamenta. 2.2.26. & 3.1.4
Palpebrarum conſutio per medic. 3.1.4
Palpebræ ueſica. 3.1.51
Palpebrarũ cohærẽtium medela. 3.2.24
Palpebræ inferioris inuerſio quî emendetur. 3.1.15. & 3.1.34
Partium extremarum amputatio. 18.2.5
Partium quæ circa teſtes ſunt, definitiones. 13.1.1
Pectoralis oſſis pars media cũ frangitur, quæ accidant, & quõ curetur. 23.1.10
Periſcyphiſmus, inciſio circa caluariã facta. 2.1.12
Pes putrefactione corruptus quomodo amputandus. 18.2.5
Phimoſis, hoc eſt uuluarum præcluſionis curatio. 15.2.20
Pilorum geminatus ordo, & eiuſdem curatio. 2.1.20
Pinnula circa ungues quid ſit. 18.2.20
Pituita laborantium notæ, & quomodo inciſione curentur. 1.2.43. & 2.1.12
Polypus nariũ tumor quõ curet. 5.1.20
Præputij conſtrictionis duplex cauſa. 11.2.25
Præputij conſtrictionis curatio. 11.2.31
Præputiũ circa glandem duplex. 11.2.36
Præputij cohærentis curatio. 12.1.1
Præputij nigreſcentis curatio. 12.1.10
Pterygiorum ſeu unguiũ oculi curatio. 3.2.50
Pterygiorum ſiue pinnularum circa ungues curatio. 18.2.27
Pubis oſſa fracta, quõ curentur. 23.2.7

R

RAmicis uaricoſi notæ. 13.2.44
Et eius curatio. 13.2.49
Ramicis ſpirituoſi curatio. 14.1.10
Ramicis carnoſi et tofacei curatio. 13.2.29
Recutitorum curationis modus. 11.2.2
Rhacoſis quale uitium. 15.1.3
Eius curatio Ibidem

S

SAnguis per uenas, quando & quomodo mittendus. 8.1.11
Sanguinis redundantia duplex. 8.1.14
Sarcocele quale uitium. 13.2.24
Scapulæ oſſis lata pars minime frangitur. 22.2.52
Scapulæ oſſis pars, quæ ad ſpinã eſt, rupta quomodo curetur. 23.1.1
Scrotum quid. 13.1.10
Scroti laxationis curatio. 15.1.3
Secundarum retentarum eductio facilis. 16.2.5
Seminaria uaſa quæ dicantur. 13.1.4
Seuationes, pultationes & melliſauia in quo differant. 7.1.51 & qualis curatio illis adhibenda. 7.2.3
Spina dorſi fracta, quõ curanda. 23.2.18
Spinæ in gula infixæ quomodo educendæ. 6.1.41
Spirantium difficulter medela. 1.1.14
Staphyloma oculi morbus. 4.1.13
Stomachi aduſtio. 10.1.28
Strummæ ubi naſcantur. 7.1.23
Strummarum curatio. 7.1.28
Suppurationis in tabe aduſtio. 9.2.13
Suræ os fractũ quomodo curetur. 25.1.1

T

TAlus nullo modo frangi poteſt. 25.1.10
Telorum differentia. 19.1.29
Telorum extrahendorum à carne duplex modus. 19.2.1
Telorum uaria extractio. 19.2. per totum. & 20.1
Teſticuli definitio. 13.1.1
Thymorum in cole tuberculorum curatio. 12.1.17
Thymorum in locis muliebribus curatio. 15.1.52
Tibiarum fractarum curatio. 25.1.1

Tibiæ cum cubito magna conuenientia. 24.2.50
Tonſillarum curatio. 5.2.34

V

VArix quid ſit. 18.1.24
Varix qbus locis fieri ſolet. 18.1.24
Varicum ſectio & curatio. 18.1.30
Venæ ſecandæ ſcopus. 8.1.13
Venarum exemptio, & aduſtio. 1.2.22
Verruca quale tuberculum. 19.1.15
Verrucæ quomodo tollendæ. 19.1.18
Verrucæ palpebrarũ & tubercula, quo pacto curentur. 32.43
Vertebræ ſpinæ ſi perfectã luxationem patiantur, mortẽ citò afferunt. 27.2.19
Vertebrarum eminentiæ fractæ curatio. 23.2.11
Veſica palpepræ. 3.1.51
Veſicæ exulceratæ collutio. 12.1.43
Vmbilici prominẽtis uitium quibus ex cauſis fiat. 10.2.16
Curatio. 10.2.27
Vnguiũ pinnulæ quõ curẽtur. 18.2.27
Vnguium contuſorum curatio. 18.2.39
Vrinariũ meatũ ſubuulſum habentibus glans quomodo amputanda. 11.2.19
Vuæ colli curatio. 6.1.17
Vuæ morbi oculi curatio. 4.1.13
Valuæ abſceſſus curatio. 15.2.23
Vuluæ præcluſio quõ curanda. 15.2.20

INDICIS FINIS.

ALBANVS TORINVS
LECTORI SALVTEM.

EI κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει, quid monſtri ædat is, qui parere, priuſquam conceperit, enititur? partum nimirum nõ modo immaturum, informem & imperfectum, ſed ne inchoatum quidem planeq; ſubuentaneum. Id quod ipſe iam olim intellexi, & in præcipiti Aeginetæ noſtri æditione, lector candidiſſime, ſenſi. Fuit is primus partus, qui adeò cæteris ſemper difficilior exiſtit, ut ſæpius in eo abortiuus gignatur, maxime ſi obſtetrix uecors parientem immaturè urgeat. Vtinam hic fœtus ei reſpondiſſet, qui Sagunti, anno quo ab Hannibale deleta eſt, in lucem æditus memoratur. Ἡμάρτομεν ταῦτ᾽, ἀλλὰ συγγνώμην ἔχε. *Nam mihi profectò nunquam deinceps ſuauis fuerit ſomnus, niſi ad unguem dedolatum Aeginetam noſtrum candori tuo communicemus: cuius rei argumẽtum & tanquam arrhabonem ſumito hic ſimplicem errorum (quos feſtinatio partim, partim, & maximè quidem, deprauatiſſimum exemplar Aldinum, quo unico ſum uſus, peperit) confeſſionẽ: in qua hallucinationes pleræq; alicuius momẽti, & in Medicinæ uſu periculoſæ, tum noſtro, tum exemplaris, tum chalcographorũ uitio conflatæ, comprehẽduntur. Sunt enim quæ magni erroris faciem præferre uidentur non noſtra culpa, ſed neſcio qua incuria commiſſa: uerbi cauſa, balanum alibi mutatum in balneum, opercula in pocula, deoperculato in operculato, & id genus cætera. Suſcipe igitur animum quæſo, & in magnis uoluiſſe ſat eſſe cogita humaniſſime lector, nec illos qui ſibi thus pedere uidentur temere probabis. Vale felix, & hæc tantiſper dum ex noſtra recognitione uniuerſus autor quemadmodum Bacchus apud poëtas renaſcatur, æqui boniq; conſule. Baſileæ, Calendis Septemb.*

ALBANI TORINI CASTIGATIONES
IN SVAM PAVLI AEGINETAE TRALATIONEM.

Prior numerus, ſi duo ſunt, paginam, alter uerſum: ſi unus, lineam proximè ſignatæ paginæ, declarat.

IN PRAEFATIONEM.

Pagina 1. uerſu 35. ualetudinis tuendæ rat. Pag. 2. uer. 2. tanquam alia ſubierint. 3.16. Exordiemur itaq; iam primum librum.

IN LIBRVM PRIMVM.

3.29. donec ingeſtos cibos confecerint, exh. 52.10. conf. conſummatam illorum cognitionem aſſequeris.

IN LIBRVM SECVNDVM.

56.31. pro eſt, exiſtens. Hanc tamen præſagit. 57.11. eliſus pro efflans. 27. Siquidẽ quatuor part. ac. 30. conſueuerunt. 32. duodecim horarum ſpa. 38. exacerbatio. 58.14. & per excretiones. 59.24. alios. Pag. 61. Cap. XII. quod de pulſibus eſt, ſeorſim iam denuò multò elegantius ſumus interpretati: proinde, ne actũ agatur, nihil

hic

hic caſtigauimus. 72.24. humiditate. 19. æruginoſæ bilis. 70. aduſti. 73.13. præterq́;
quod. 18. Quæ urinis probe innatant, tantū bonitate præſtant. 28. mediocria ſunt,
pro quin &. 74.1. in naturalem diſpoſitionem reuertente. 6. atq; lauentur. 16. ſine
ſalibus. 17. ſyncipu t. 22. febriunt, modicè calorificis. 23. anguſtia meatuum. 28. tepen
teq́; oleo liberalius perfundātur. 36. primæ acceſſionis horum nonnulla permutare.

76.14. feruor cunctas ex æquo corporis partes occupat. Quod ſi manum imponas
primo contactu. 20. uel aluus ſoluitur, & ueſ. excre. Ad hæc in ap. finitur, ubi ac-
ceſſionis tempus duodecim horarum ſpacium ad ſummum abſoluerit. Febrem ergo
quæ int. 31. habēti. 77.3. & ij quæc. 10. oua & ſimilia. 27. ὑπαλ. hoc eſt, ea quæ leniter
aluum lubricam reddūt. 79.38. exactus ille cauſos. 41. qui. 42. & 43. cæterum quod
ad apyrexiam nō terminatur à cog. 81.34. uel multo etiamdū manente. 84.30. con
templans & obſeruās. 85.6. Venter ſyntexes tabes ue. 8. quo diffundatur calor un
diq; per corpus. 34. dele parēthesim. 86.9. aluus non ſiſtenda quidem eſt, ſed exh.
10. ſi fluxus perm. 11. per imb. pulſus. 13. qua ſi laborarint corp. crud. hu. ref. deplor.
15. quando craſſi planè hu. ſubſint oxym. 33. hepar aut uentriculus. 87.6. Quintam
inſuper (ſi uidetur) diſt. nempe prin. adpone. 15. Pulſatorius circa memb. 21. nerui
quum & af. 88.5. moli. 8. Expunge, exemp. cauſſa. 14. loco primi mer. exiſt. Diſſi-
det autem ab ipſa. 15. & quod. & uiſcidus. 36. pane exceptis empl. 89.7. in acceſſ.
declinationib. 91.13. utroq;. 92.2. deambulent geſtentur ue. 5. refrigeratione. 10. fe
bris declinans erigitur. 12. liquefiunt ac diſcutiunt. 27. ſatiua. 42. illinitio muſculorum
maxillæ. 43. epidema calens mento adplicatum. 93.2. Suauitas mali. 16. quod ex
praua intemperie particularum imbecilla quæuis facultas redditur. 95.28. piris, me-
ſpilis. 39. myxa ore retenta. 96.7. ſumpti cibi occaſ. 97.5. nitrum. 19. deducuntur.
20. ob crud. 21. eff. 28. quæ ex calorificis panificijs conſtituuntur. 40. etiam enemate
dulc. 98.1. ouū. 10. moliri, unde natura. 14. ſed quantū per uires licet auff. 19. præp.
ligatura. 99.1. & ſpiritum.

IN LIBRVM TERTIVM.

101. uer. 38. adipe urſino. item & paulò poſt. 102.9. cicatricē cōtraxerint. Ibidem:
Et halcyonium, atræq́; anchuſæ folia, omnia cont. 11. cremati portionem unam: atq;
ita deinde ubicunq; modium inueneris, ſcribe portionem. 12. ijſdem aridis utitor. 21.
cont. radendum. 22. raſura cap. 27. adipis urſinæ. 40. myrti. 103.4. buccinorū. 5. no
uæ ac crudæ. 12. opercula. 104.7. fului, flauo col. 20. & mat. diluc. pili flaueſcent.
26. cineris lixiuij. 38. xeſtas ſeptem. 39. aufer quantū ſatis eſt. 106.18. Ad Achoras.
Quos fœtida id genus hulcuſcula infeſtant, argēti recremento, uel plumbagine con
trita oblinire cōpetit. 107.34. Panis nempe ex poſ. 35. puleg. admixto. 108.11. Vul-
tus enimuero ipſorum haud concidit, ſed perpallidus eſt. 13. Victus uero ratio & cæ
tera eiuſdem ſortis cognataq́; indicium eorum ſtabilibūt. 33. bilem coaceruantib. fla.
39. uel trigono. 109.36. rub. raſæ. 112.21. expunge uexan. ſic etiam qui. & 24. lege
lipiētes, pro med. pat. 30. conſenſum ſepti tranſuerſi ment. 113.4. caput, pro uigil. &
fouentes, loco elic. 20. per ſepti tranſuerſi conſortium aff. 41. decenti refectione.

114.9. uaſa cubitus euac. 115.25. quæ iniectionibus, tum. 28. Poſſet fortè pro bom-
biliorū legi, per anguſti oris calices. 118.17. pro Affect. au. inſt. exiſ. lege, Intercalato
temporis ſpacio. 119.40. contuſum & cribratum inſp. 120.3. cum ſapa in colocyn-
thide elixa. 121.28. teſtacea & ne rumpantur expaueſcunt, alij mor. 122.34. Si medi
cinæ diligentia non deſit, noli. 124.12. in acceſſionis tempore med. 36. quidam diſpo
ſitionem. 126.3. ſulfurato. 8. inſerere, ut ea quæ intus continentur, foris eijciantur.

127.7. quadraginta, pro XII. 9. unc una, ne diffluant. 25. A cœna inſ. 30. ſuſtinea-
tur pro deuit. 39. nitri cont. fecisq́; uini paululum. 128.9. ferè pareſib. medelæ deſ.
23. præſid. ſpirationis ſuppreſſione, excl. q́;. 34. ſed an. om. ijs. q. n. o. l. e. id per ſipho-
nes rectos (quos Græci καθετῆρας uocant) eliciendum eſt. 8. expunge quicquam, &
lege promouent. 43. hyd. ca. fouendi. 130.2. temp. q́; ſolio ute. 20. Et ſi exil. corp.
35. trad. quorum beneficio caput in anteriorem, poſteriorem partem & quoquo uer

ſum flecti. 131.9. hanc & ſi rarius lab. 16. tendinibus eſt im. 132.9. gent.recremētoſa.

133.1. Ocularia. 10. dele quib. per Io. 16. detract.intentiones ſoluuntur. 20. uim habente,utere. 134.22. Metal. atram. ſutorij. 135.1. etiam Muſæ trochiſc. 32. remittit, pro accedat. 136.34. In quib.er.excreſcentia ca.diut.remorata eſt. 137.5.Ru.ſa.cum lixiuio quo ſaponarij utuntur tr. 11. nondum, pro iam antè. 18. uehementer abſtergenda eſt palp. 138.24. qui oculum pungunt, pro uitiatos. 30. alumen liquidum.

139.30. Cleon medicamentū poteſt cicatr. 33. ex eroſione,aut ſciſ. 140.20. ex chalcanthi. 23. hum.compagē ipſius excoriantis. 31. purg.cicatricē inducit. 141.10. ſing. drachmarum pon.quat.& ita ſequenter. 142.1. Prouidere autē op. bono corp.temperamento. 143.34. aut cucumeris amaræ. 39. culicib.obuerſantibus,pro can.præf.

144.5. Faciunt item bene. 21. hyenæ. 145.40. aſelli in uliginoſis locis degente dec.

146.12. inf. & grauis pariter auditus adeſt,hiſ. 34. minimeqꝫ gent.q.ſ.p.mēbra infl. infeſtata attingere. 147.36.Nitro ex aq.cal.auris illuitur. 148.36. bile inferius deſcendente. 149.7. myrrhæ,aloës &c. 34.Commeante uero iam ad ſuppurationem abſc.

151.35. gal.dim.Lycio ue Indico attinge. 152.4. quemad.& in ſanguinis detractione ſolitū eſt. 153.19. fiſſ.alumen cum. 154.18. aluminis toſti &. 155.2.Sori toſto,aut alumine quocunqꝫ exuſto. 5. radicem crematam,corn.cer.combuſtum cum. 10. florem rotundi iunci odorati. 34. diphryges,atram. 157.3. Phryg.exuſtus,&. 10. ſi uua magis torqueat ab aſtrin. cōſtricta. 158.6. Si his remedijs malū nihil leuatur. Venæ.

160.37. Sorbitionibus ex amyg. 161.11. opij, galbani. 12. defruto excip. 32. croceum pro putamine. 37. myrrhæ, thu. 39. phœnic. trium caro. 43. quad.inditur.

162.5.lutea tria. 163.3. nepetæ fructus,hyſ. 14. peculiarius. 16. deuſtæ partes quat.

165.26. tribulorum modo, mag. 40. hirud. deglutita. 166.4. eſcul. frumentaceis. 17. detrahen.non eſt. 40. fagi. 172.30.utendū,per lanas delicatiores. 173.23. dolores lacte dilutum. 174.20. cydonium dec. 39. ſolut. & cibi faſtidio. 175.14. xeſt. v. & dimidiam. 176.24.cal.diſt. 181.2. & quæ ad Antylum autorem refertur. 14. Polyidæ ſig. 23. xyridis drach. 183.37.ex aqua præbe. 186.9.balanum ſuppoſititiā ſedi indere expedit ex melle. 10. ruta,ſe ari.br.caule probè polito & amputato. 12. Cæterum balani quib.Et dele,inſidentis. 16. reb. enema quoddam adijc.eſt. 187.3. hiera amara. 17. habent enemata,poc. 24. enemata & catap. 29. cremore ſe. li.leuigantur. Ten. 30. uſqꝫ ad infl. ſolutionem. 34. Immittendū ipſis oleum. 190.2. pruriūt & contrect. 10. cicerum nigrorum id genus, quod arietum capitibus ſimile,arietinum uocatur. 11. phu,meum. 193.18. & 19. & ex ueſſicaria quam halicacabum uocant medic.

194.16. leporis coag. 196.20.deſcēdit,fortaſſe legēdū pro in ocu.pup. 198.12.conf. diabacanu ad craſ. 22. lacuſtris aſparagus & cap. 201.5. altheæ. 202.1. Suſino exc. 6. partibus excreātur. 203.7. Cardami. 27. drach. duas,& ſcrup.quatuor. 31. amm. partem. 204.25. mox eliditur. 33. ex iocinore att. 206.22. pridie hyd. 25. quatuor, pro duo. 207.9. myrrhæ,glut. 21. unc. unam & dimidiam. 22. pyritis ignem non experti. 208.33. nitri uncia,reſ. 23. frig. clementer. 24. aquæ contuſa. 211.1. ijſdem, quorum in reſolutione uſus eſt, rem. 18. pip. nucleorum, quos κωναείυς Græci dicunt,pet. 31. oui uitello. 8. foliorum unguibus. 42. & ex œnelæo paſtillus ſim.

212.5. Deinde tenue lintheolum tortile ill. 15. refocillatur religaturqꝫ penis. 311. cotyla diluito puſ. 213.28. ſex,alt. 214.19. poſſet legi attingito,pro accend. 22. aulæ noua. 215.43. ſi quidem uen.ſec. 216.7. Alim. por. cong. quæ in corpus prompte diſtribuuntur. 217.40. galla,herba Sabina,al. 218.3. Athene. 9. lutea 4. 219.3. tragi aut oryzæ. 2 . drop.ung.ad partes ſuprapoſitas. 31. cap.do. & tendinū. 220.17. crocea cum. 27. ferre poſſunt. 43. quæ metaſyncritica dicuntur. 221.4.relaxatione pauca,duc.ſunt in. 9. Ad hæc acceſſiones inordinate cum. 20. Quemadmodū id. 36. fœtida quemad. 222.13. albic.ex ampliore loci ſenſu proma. 45. perexig. boni ſucci.

223.2. expe.Peſſi autē uice,diamoron,cadmia,ladano ue,ſeu plumbagine dilutum, adplicetur. 15. oris pertumidis & alb. 27. ouor.uitellis. 224.21. ſing.unciam. 28.denarij IIII. 225.6. Hæc uero mali ſpecies uictu remittente, tractanda eſt,ut. 41. uul.

uniuer.turget. 226.22.in accõmodatione. 227.17.flexos pop. 228.18.menſiũ mol. 26. craſ. ſuc. ſtupor cum. 229. Gona. 12. ſuperiorum par. 230.6. emollien. inſertis. 231.2. aut dolorum imperitiam,aut metum,aut inf. 37.Obeſam in lecto mulieris ita col. 40. expunge,Opor.hæc conſid. 41. ſit,etiam huic proſpiciendum. 42. ſpat. abſcondito in. 233.1. quod mul.diuq; inhæſerit mucoſus hu. 16. In morbi remiſſionib. fortè,pro ex interual. 21. picis aridæ. 234.15.expunge,in. 38. Præcedit hoc mali plerunq;:& expunge ibidem,excipiunt. 235.3.faciles tamen deprehenſu. 23. importatam lenticulam. 236.28. uel cum deſunt, ſi. 26. prima æg. exploratione, quoniam ſæpius occupati no.hu.fluxu,lædunt. 33.ſcam.ſingul.unc. 1.euphorbij,nitri,cuiuſq; unc. 238.7. Tophorũ porrò conſt. 12. tumori relicto. 42. dele, cæterũ. 43. ueratrũ. 239.12. etiã cum. & expunge,breuiter. 34. niſi quid obſtet. 240.36. friatus & adpoſitus. 241.13. uſq; dũ manus nõ inquinat,atq;. 20. tumorũ reliquias diſſ. 25. alimen. quæ prompte digerũtur. 242.10.& liq. in ra.cer. perfrigefactũ imp. 12. aluminis ſciſ. 27. uigin. ceræ tantundem aut triginta. 243.13. Sanan. attritibus. 33. Nigella cum urina pueri Venerem non experti. 244.24. aſperſa prius parte afflicta ſtim. dec. Cæt.areſactum ptery.circuncidito. 34. Soreos deuſti. 18. manus non inquinent.

IN LIBRVM QVARTVM.

247.8. utriſq; peruſtis. 23. Altera è fla.bile nimium combuſta par. 40. ſed, pro uel. 249.2. manib.palp.prætentatoq; uen.geſtationib.cum uoc.utetur. 5. adipe urſino. 28. his qui bis in die nutriuntur. 38. teſta combuſta. 250.16. dicata etiam alphis. 251.36. ceræ tractæ unc.tres. 252.33. Glutinis fabr. 41. buccinorũ cinis,nitri,uniuſc. 253.15. Si nempe bil. 20. is congius med. 23. ægre nanq; inhumeſcit affectio. 26. Ad hæc farinæ fab.lup. myrobalanorum uel peponati præparati. 36. conſp.ſine pingui. 38. cocl.combuſtis. 40. uel quibuſdam pſoricis, hoc eſt aduerſus ſcabiem efficacib. 254.21. Quum ue. non quælibet leucæ medicabilis eſt. Hu. notæ. 35. inefficaciam. 256.12. exterit. 21. aſſ. fului. 258.2. loc. attinge. 21. & abſque uell. 36. liuixium. 259.3. ceræ tractæ. 260.2. uniuſc.uncias decem. 14. ſalſum,concrematum. 261.33. quum immutatio his oboritur pup. 262.24. pus eij. 30. ſecta parte ſcalpello pus euac. 41. non ſuſtinent. 263.32. excoriantur temp.ſubiectæ partes adhæ.& ab. 264.7. egimus. 20. dele,& educ. 21. Sin con.aperiẽdo abſceſſum. 43. Vbi ſanguen nobis nõ prohibentibus defluxerit,quæ ad l.t.p.facta ſunt adhibeãtur. 265.1. melle acetoſo. 266.6. cyathos ſeptẽ. 267.13. cera tracta. 15. & pellucidi pauc. 268.20. ex prolapſu. 269.5. queãdmodũ & fu.q.c.tum hinc,tũ ex. 38. Dioſc. Alexãdreus inqt. 271.3.& ubi tabuerit liquef. 15.uncia. 272.29.remed. Ad Carcinode & malefica doloſaq; ulcera & ad. 40.flu.combuſtorũ. 274.9. Elix.igitur illorum cum o.e.u.quod lana ſuc.calente excipiatur,uel cer. ex hyſ. forte œſypo. 275.36. cedens,& inſanabilis. 276.21. uniuerſum morbi tempus unoq. 22. uel certe frequẽti. 277.30. Cine. ficulnei. 278.24. Cinere lixiuij ſtillatitio.Item:quod repoſitum. 27. in ſtactes cinere. 29. inſtil.lixiuium. 37. ſandar.atri.hellebori ſingulorum denarios duos,utere cum roſaceo. Aliud: Squamæ, ſandarachæ ſem. 39. Echin.toſtorum. 280.4. cum cerota. 32. glutinum quo librarij utũtur. 36. uua paſ.ſatiua. 281.6. craſſiore ue. 26. recentib. 282.7. Sarap.quem gr. τρ.quoq; di. 283.4.chalcitidem æruginem,plumbaginem. 27. rhicininorũ fol. 284.17. alu. qualicunq;. 23. ex oxymelite. 39. naturam eſt,attingentes in ſup.hul.cuti perſimiles. 285.35.Cæterum ad ea quæ ægre cicatricem contrahunt,prob. 39. contrahentib. 287.6. thuris lachrymæ. 21. ſp. ar.ouillus talus crematus,cum uino aſtringente leuigatus,ammoniacum thymiama felle ſuillo peruñctum. 21. thuris lachrymæ. 23. myrrhæ. 36. inferiorem partem. 40. diuiſ.ex aduerſo facta. 43. prope ge. 288.2. ut inguinum ſitus q; genu humilior ſit. 4. potabili elu. 18. ſp.recens. 19. fiat. 38. contrahuntur & cõglutinantur. 289.10. neq; manus coinquinet,mox. 12. dele,in. 290.5. dum inflammatio ceſſauerit,& cr. 6.in Alexandria. 27. Eſt uero illud quod oleo rhicinino cõficitur,de. 291.23. hæc enim anar.hoc eſt ſurſum uergit. 37. ea quæ obſtruendi gratia empl. 38. gypſoq; & quæc. 43. forte,coër-

cere ten. 294.17. Hordeaceam habẽtibus far. 295.20. cum defruto cal. in linamentum illito ut. 296.15. memb. ignauum redditur. 297.4. med. pœcillumq;, & ex. 13. cum lang. 298.24. Puerulis uero & cũ temeraria prom. ling. uibratio. 299.13. Verum quũ febres nõ ueh. 17. radicis ius. Item, nitri fului. 30. Maſuaphium. 32. exaceto mulſo tent. 300.24. med. (ijs nempe quæ leniter aluum lubricam reddũt) deiectio. 301.9. geminas natu grandiorib.

IN LIBRVM QVINTVM.

304.24. crebrior ig. 29. focumq; ſub ali. arb. extruere noli, max. 305.14. recẽtes uapores, & conuenientem naturæ calorem corpori ind. 29. uet. rhu di. 306.8. Sed ut Lycus aſſerit. 308.5. m.g. permittendũ eſt quo caro aut cir. 7. quũ iam. u. a. p. ſed metaſyncriticis potius medicaminib. utendũ. 310.32. laborioſo & incurabili. 317.17. ubi iam coierint, quæ liqueſcere poſſunt adijciuntur. 27. compoſuerunt, quæ. 318.35. Si uero nonnulli ultrò, quò ſibi uim adferrent letale uirus ſumpſerint, qualia. 29. fuerit conſtet. 42. nob. pharmaci exhibiti cog. 320. E domeſticis po. 321.4. inflammata. 322.7. ſi ſuſtinent, offerantur.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

332.40. ita ut æq. 333.15. Sic quæ. 23. rhus. 345.23. cic. conciliat. 427.14. qui promptiſſime comitantur. 430.10. leuigati. 432.14. min. corrumpatur. 30. fla. experte. 435.16. trita & cõ. 437.7. No. enim in hoc diſpẽſare pur. 438.9. ſcordij, na. 12. marrubij, pet. 14. trix. chamæpityos. 26. & identidem de operc. 27. ſiquidem urget neceſſitas. 41. app. intenſam. 439.13. Pa. q. modo in peregrinationib. u. p. q. a. aquas ue dũ iter faciũt olf. ſuſp. 15. Ante Mith. 24. ſucci hyp. 440.16. ad mẽſes ſex, atq; ad. ac. reddit. 448.24. my. Troglodytidis. 35. piſciũ capitib. cõmaris. 456.20. cuti nõ perũctæ. 458.31. Alex. fului. 459.14. ſtomaticorũ. 38. piã remãſerit. 460.20. præd. cum ſucci tum mellis menſura. 35. conſi. quod neutrum eſt. 461.1. dele, ſtercoris. 6. quibuſd. ſpeciebus. 10. roſæ uel ſimilia q. p. uua non matura, mâla granata, myrtus. 33. expunge, alternatim: & lege, congruunt. 37. æſtuantib. 462.4. exime, pro cola. 39. ſucci mâlorum granatorum. 40. unus. 463.5. obſtruunt. 32. ſordes.

465.18. aq. craſſius. 474.7. rud. agitatur. 27. neruus diducatur & denudetur.

475.37. uitant grau. 479.21. donec digitos intinctos nõ inquinet. Atq; ita quidem multis in locis legendũ. 490.17. ceræ tractæ. 21. Tertiæ ad. 31. eximens. 494.23. uero molliẽdi. 495.12. quum do. 498.24. utpote facilis euaporationis. 39. una dunt. uice. 41. duab. a. t. a. q. iniectionib. 499.3. refrigerato ung. 500.22. Deinde his quoq; exemptis. 26. loco eius. 502.38. cacabo perquam udo ſi. ting. q. ne uis ipſius lædatur. 503.35. & ſyncope oppreſſis ſi. 42. Eſt autem poſ. q. Meſopotamenon ap.

505.43. & ſuſpenſum contrah. 506.9. ce. tractæ. 10. undecim. 18. peſſus Libanius qui mul. 513.8. ollam nouam. 35. ſe. coriandri. 36. cuiuſq; unc.

Hæc ſunt, candide Lector, quorum te in præſentia admonere uolui: Tuum erit boni conſulere.

CASTIGATIONVM FINIS.


PALMA BEB.

CL. 6/47.